PHARUS DIALECTICA, SIVE LOGICAE UNIVERSAE BREVIS...

Benedictus : de Macedo

Digitized by Google


BIBLIOTECA
VITTORIO EMANUELE
FONDO
FIORENTINO
42
5 D
12

Digitized by Google

Digitized by Google

PHARUS DIALECTICA;

SIVE

LOGICÆ UNIVERSÆ

BREVIS ELUCIDATIO

IN TRES PARTES DISTRIBUTA.

Pars prima agit de Proœmialibus Dialecticæ. Secunda de materia proxima, & remota *ex quâ* syllogismi; ubi de terminis, & eorum affectionibus, ac proprietatibus propositionum. Tertia de essentia, & forma syllogistica; tum etiam de vitiis oppositis, sive de Elenchis.

AUTHORE

P. BENEDICTO DE MACEDO Societatis JESU, in Eborensi Academia Philosophiæ Professore.

EBORÆ. Cum facultate Superiorũ ex Typographia Academiæ Anno Domini M.DCC.XX.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Operæ pretium me facturum existimavi, si *Pharum Dialecticam* in vulgus proderem, ut præluceret studiosis ad scientiarum progressum: jam dudum mente conceperam tradere auditoribus meis in Philosophia missas in compendium Logicæ regulas; sed temporis angustiæ alio me distraxerunt. At cum Magisterii curis aliquantulũ essem liberatus, huic operi, cui jam initium feceram, manum admovi, & tandem peregi; ut, si meis non potuit discipulis, prosit saltem alienis: harum enim rerum cognitio de bonis fontibus modice hausta illorũ, qui probe volent instituí, juvabit studia, & supplebit authorum volumina, quæ sæpe desiderantur.

Neque aliquis mihi succenseat, quòd *Pharum Dialecticam* nimis contraxerim, & breviorem protulerim, quàm publicæ lucis theatrum desiderabat: brevis

est, & exigua, sed non parum lucis habet, & doctrinæ, in paucis enim multa concludit. Nam quæ per diffusissimas authorũ paginas disseminata reperiuntur, & fortasse delitescunt tenebris obsita, brevi Pharus ostendet, & novâ purgabit luce: siquidem brevitatem lucraturi ipsi affinem obscuritatẽ devitavimus. Productioris styli fecimus jacturâ gnari lucem à nobis accendi non in bibliothecâ reponendam, sed à curiosis huc, & illuc deferendam, ut ad manum habeant, & ipsis in promptu sit, quò redactam in brevem syllabum Dialecticam possint perlegere.

In hoc opere sequimur PP. Conimb., P. Fonsecã, P. Ovied., Lync., Rub. Suar. Lusit., Arriagã, Spinulã, & Alphonsum, sed non eâ lege ipsorum opinionibus ita jurati adstringimur, ut sententias veritati proximiores non præferamus. Multa summatim attingit Pharus Dialectica, nonnulla delibat, plura expendit, & quidquid apud Dialecticos sciturdignũ, reponit cum usura. Faxit Deus, ut hoc opusculum (quale qualecumque illud est)

est) quod certe curiosis aptavimus, &
in ipsorum utilitatem confecimus, ce-
dat in maiorem sui gloriam, nostri la-
boris metam.

LICENCA

Da Ordem.

ANtonius Correa Societat. JESU, in Provincia Lusitana Provincialis, potestate ad id mihi facta à R. admodum P. nostro Generali Michaele Angelo Tamburino, facultatem concedo, ut typis mandetur liber, cui est titulus *Pharus Dialectica*, compositus a P. Benedicto de Macedo ejusdem Societatis, olim in Eborensi Academia Philosophiæ Professore, gravium, doctorumque virorum nostræ Societatis judicio approbatus. In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque munitas dedimus in Residentia Lapensi 29. Maii. Anno 1719.

Antonius Correa.

Digitized by Google

LICENÇA DO SANCTO OFFICIO.

VIstas as informaçoens, podese imprimir o livro, de que trata esta petição, & impresso tornara pera se conferir, & dar licença que corra, que sem ella naõ correra. Lisboa Occidental 25 de Fevereiro de 1720.

Rocha. Fr. Rodr. Lancastre. Guerreiro. Carneira.

LICENÇA DO ORDINARIO.

POdese imprimir, & impresso torne pera se conferir, & dar licença pera correr. Evora 10 de Março de 1720.

Alvres Cidade.

LICENÇA DO PAÇO.

QUe possa imprimirse, vistas as licenças do Santo Officio, & Ordinario, & depois de impresso torne à Meza, pera se taxar, & se lhe dar licença que corra, & sem ella naõ correra. Lisboa Occidental 23 de Março de 1720.

Andrada. Guedes. Oliveyra. Noronha.

VIsto estar conforme com o Original, pode correr. Lisboa occidental 20 de Agosto de 1720.

Rocha. Fr. Rodr. Lancastre. Cunha. Teixeira.

VIsto estar conforme com o Original, pode correr. Evora 23. de Agosto de 720.

Alvres Cidade.

TAxaõ este livro em 240. reis. Lisboa occidental 29 de Agosto de 1720.

Pereira. Andrada. Noronha. Teixeira.

Digitized by Google

ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	§.	Reg.	Errat.	Corrig.
2	6	3	Æthicorum	Ethicorum
20	20	5	intrinſice	intrinſece
20	20	5,&8	extrinſice	extrinſece
96	49	2	Diviſivus, Collectivus	Collectivus, Diviſivus
99	50	5	eſt ſubſtantivus	*ſupple* terminus.
149	§	2	de agere	deagere
172	297	3,4,&5	Cytharedus	Citharœdus
172	299	6	Cytharædus	Citharœdus
175	titulo	1	Narura	Natura
231	titulo	2	Contradictoriiss	Contradictoriis.
249	246	3	non aut Paulus non	aut Paulus non
337	66	5	neg. neg.	neg.
355	4	2	Cammeſtres	Cameſtres
398	155	4,&5	Barbara	in Barbara.
398	155	6	Baralipton	in Baralipton.

In indice ad literam I in §. *Infinitum* fine, ubi eſt pag. 101, lege 120.

AD PHARUM DIALECTICAM

PRÆAMBULA DIFFICULTAS.

Quid sit ars, & quotuplex?

1. ARS definitur: *Collectio multarum de una re comprehensionũ ad finẽ aliquẽ utilem vitæ.* Per particulam *Collectio* intellige multos habitus simul sumptos; quia unus tantũ non est ars totalis, sed partialis. Nomine *Multarum comprehensionum* veniunt habitus solius intellectûs, qui versantur circa verum.

2. Unde à definitione excluduntur: 1. habitus aliarũ potentiarũ, v.g. voluntatis. 2. plures habitus ejusdẽ intellectûs, qui nõ versẽtur circa verum, ut sunt habitus erroris, vel etiam habitus opinativi, qui versantur circa probabile, cui potest subesse falsitas; quia rem certo non comprehendunt.

3. Particula *de una re* indicat objectum artis aliquo modo unum: quia non sufficit unitas intellectûs: aliter scientiæ in eo existentes non

Digitized by Google

essent plures. Per *ad finem aliquem utilē vitæ* denotatur finis honestus, & delectabilis; & rejiciuntur artes ad hominum perniciem inventæ, ut est Magia.

4. Ex hac definitione eruitur 1. omnem scientiam esse artem; cum omnes habeant illius conditiones. Eruitur 2. non omnem artem esse scientiam: quia ad habendam rationem scientiæ præter conditiones artis, ulterius exigitur, quod sit discursiva, & procedat per causas conclusionis: hoc autem non habet v.g. Grāmatica, & similes artes.

5. Arg. 1. In intellectu Divino dantur veræ artes: sed non sunt collectiones comprehensionum: ergo non stat definitio artis. Minor patet: quia Deus unica, & simplici cognitione omnia attingit. Resp. neg. conseq: quia hic solùm definiuntur artes humanæ, & non Divinæ, de quibus Philosophi notitiam non habuerunt.

6. Arg. 2. Ars etiam versatur circa contingens, cui potest subesse falsum, ut habetur 3. Æthicor. c. 9. ubi dicit Aristoteles artem consultare; & consultatio est de re contingenti, & incerta: ergo non bene excluditur opinio. Resp. neg. conseq: quia in 1. casu solùm materialiter, & per accidens potest subesse falsitas; non verò formaliter, & per se, ut accidit in opinione.

7. Ratio hujus est: quia ars non tendit in objectum absolute, sed prout stat sub præceptis artis,

artis, & cum illius regulis conformatur; & hoc pacto necessario attingit verum. At opinio tendit in objectum, prout est in se, & ut sic ei potest subesse falsum. Deinde ars non consultatur de suis præceptis, sed de circunstantiis occurrentibus.

8. Arg. 3. Magia est vera ars; cum habeat suas causas, & afferat delectationem: ergo non bene rejicitur. Resp. eâ Magiam naturalem non excludi; sed solùm illam, quæ acquiritur ex pacto Dæmonis, & ad nutum hominis operatur miros effectus in hominum perniciem, ut v. g. Nichromantia, & Judiciaria saltem secundum partem falsam.

9. Ars ratione finis dividitur in practicam, & speculativam. Practica est, quæ dirigit ad opus faciendum: speculativa verò est, quæ sistit in sola contemplatione sui objecti. Ars ratione materiæ dividitur in realem, & sermocinalem: prima agit de rebus, prout à sermone distinguuntur: secunda de sermone, sive intellectuali, & interno, sive de externo.

10. Ars ratione ordinis, & dignitatis dividitur in superiores, & inferiores. Superiores sunt, v. g. utraque Theologia, Doctrina moralis, &c. Inferiores 14 cõmuniter numerantur: septem dicuntur liberales, quia liberum hominẽ decent: aliæ 7. dicuntur serviles, quia in servos cadunt, & corpore exercentur.

11. Liberales sunt Grãmatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia. Serviles sunt Agricultura, Ars venatoria, Ars militaris, Nautica, Chirurgia, Textoria, & Ars fabrilis. Priores exametro, posteriores pentametro continentur.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra: Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.

PARS PRIMA.

De Proœmialibus Dialecticæ.

Antequam syllogismorum spineta lentius, ut par est, exploremus, summam de proœmialibus compendiose teximus, ut curiosi Dialecticæ aucupes plene calleant illius naturam.

DISPUTATIO PRIMA.

De natura, & necessitate Dialecticæ.

Multæ hic discutiuntur quæstiones fuso calamo, & longo syllabo; cæterum malumus brevi stylo concludere peculiares Dialecticæ concertationes, & viam sternere ad secretiorem hujus institutionis tractationem.

SE-

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

De essentia, & divisione Dialecticæ.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Dialectica?

1. DIco 1. Dialectica definitur: *Ars, sive doctrina differendi.* Ita P. Fonſ. Inſt. Dialect. lib. 1. c. 1. P.P.C.C. q. 4. Proœmial. art. 1. Particula *Ars* habet vicem generis, & per illam convenit Dialectica cum aliis artibus: alia eam diſtinguit à cæteris, quatenus ſola ipſa præbet regulas, quibus recte ſit differendũ.

2. Dialectica etiam *Logica* appellari conſuevit; eadem enim eſt utriuſque nominis interpretatio, ut author eſt Cicero, & fatetur Luſitanus Ariſtoteles P. Fonſ. ſupra citatus. Duplicẽ habet finem Dialectica: 1. proximum, nempe tradere differendi regulas: 2. remotum, nimirũ ipſum differendi opus; differere vero eſt ex notis ignotum aperire.

3. Arg. 1. differere eſt commune aliis ſcientiis: ergo non eſt differentia peculiaris Dialecticæ. Reſp. neg. antec. in ſenſu, in quo loquimur: quia *differere* ſumitur pro munere tradendi regulas ad differendum, quod non competit aliis ſcientiis: hæ enim ſolùm utuntur regulis Dialecticæ, & non illas tradunt.

4. Arg. 2. Dialectica eſt modus ſciendi: ergo

ergo non bene definitur: *Ars differendi.* Resp: neg. conseq: quia esto ipsa sit modus sciendi in materia necessaria, attamen in probabili etiam generat opinionem: cùm vero tradita definitio melius comprehendat Dialecticam secundum omnes suas partes, ideo approbatur.

5. Observa obiter artem differendi ex cõmuni Philosophorum vocari tum Dialecticam, cum Logicam: usus tamen obtinuit in modo loquendi, ut in materia probabili frequentiùs nuncupetur Dialectica; & Logica in utraque materia tam probabili, quam necessaria, ut ex P.P. C.C. supra citatis notant hic aliqui Recentiores.

6. Arg. 3. Dialectica potius definitur: *Scientia practica ostendens modum intellectualem definiendi, dividendi, & argumentandi*: ergo non stat resolutio. Resp. neg. antec: quia definitio debet comprehendere omnes partes definiti: hoc autem non habet tradita definitio; cum Dialectica præter operationes intellectus, dirigat etiam voces.

7. Dico 2. Dialectica dividitur in Docentem, & Utentem. Ita P.P. C.C. supra citati art. 2. D. Thom. 4. Met. l. 4. P. Arr. & alii. Prob: quia Dialectica dividitur in dictamen, & operis executionem: sed Dialectica Docens est dictamen, sive norma præscribens modum ad differendum; & Utens est executio modi differendi: ergo.

8. Ro-

8. Roboratur ulterius: quia in quacumque arte practica, quæ methodo, & via traditur, usus aliquo modo distinguitur à doctrina: in arte enim domifactiva regulæ ad domũ constructendam distinguuntur ab ipsa constructione domûs, sive domo constructa: ergo similiter in Dialectica usus erit distinctus à doctrina.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrũ *Dialectica sit Docẽs in omni materia?*

9. CErta est resolutio affirmativa, quam tenet P. Arriaga d. 3. sect. 1. Spinula, & alii. Prob: quia Dialectica in omni materia, sive propria, sive aliena, & tam probabili, quam necessaria tradit regulas ad differendum: sed hoc ipsum est Dialecticam esse Docentem in omni materia: ergo.

10. Arg. 1. Dialectica non est Docens in materia Pseudographa; aliter non esset modus sciendi, sed errandi: ergo. Resp. neg. antec. & illius probationem: quia docet ex syllogismo in tali materia Pseudographa dispositò generari errorem; & scire dari errorem, ubi re ipsa datur, non est esse modum errandi, sed perfectissime sciendi.

11. Suadetur amplius: quia Dialectica tra-

dendo regulas conficiendi ſyllogiſmum in materia Pſeudographa, non intendit generare errorem, imo potius illum evitare; docet enim, conceſſa maiori, & minori, non poſſe negari conſequentiam; & conſequenter ſignificat ibi contineri errorem, licet ſit vera ratione formæ.

12. Arg. 2. Metaphyſicus abſque Dialecticæ ductu agnoſcit eſſentiam hominis, nempe *Animal rationale*: ſed hoc poſito, non eget regulis Dialecticæ ad illum definiendũ: ergo Dialectica non eſt Docens in materia aliena. Reſp. neg. min: quia ſola ipſa tradit regulas rectæ definitionis, ſine quibus non poteſt Metaphyſicus ſcire, an bona ſit definitio.

13. Arg. 3. Dialectica Docens præſcribit regulas concludendi infallibiliter: ſed id non præſtat in materia probabili; ſiquidem concluſio eſt fallibilis: ergo ſaltem in ea materia non eſt Docens. Reſp. neg. min. & diſting. illius probationẽ: eſt fallibilis ratione materiæ, conc; cùm enim ſit probabilis, poteſt eſſe falſa: eſt fallibilis ratione formæ, nego minorem, & conſeq: quia hoc ſatis eſt, ut ſit Docens.

14. Arg. 4. Dialectica in aliis materiis non demonſtrat veras paſſiones: ergo non eſt Docens. Antec. conſtat: nam ſi paſſiones proveniunt à materia, in qua conficitur ſyllogiſmus, eas demonſtrare ſpectat ad ſcientiam, cujus eſt materia: ſi vero proveniunt ab actibus intellectûs,

perti-

Digitized by Google

pertinet ad Physicam.

15. Resp. neg. antec: quia demonstrare passiones, quæ resultant ex actibus intellectûs sub forma syllogistica dispositis, solius est Dialecticæ; cùm sola ipsa dirigat formam syllogisticam. Et per hoc satisfit insinuatæ probationi: Physica enim solùm demonstrat passiones, quæ emanant ex mera natura actuum intellectûs.

16 Elucidatur res ab exemplo: in corona ex auro passiones, quæ proveniunt ex auro, spectant ad Physicâ; at quæ resultant ex forma artificiosa coronæ, v. g. esse habilem ad honorandum personam regiam, pertinent ad auriferariam: ergo etiam similis curret Philosophia in casu conclusionis.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum *Dialectica sit Utens secundum se totam?*

17. Resolvo 1. Dialectica est Utens in materia necessaria tam propria, quàm aliena. Ita P. Oviedo in Log. Controv. 2. pun. 2. à n. 6. P. Lync. P. Vasq. P. Hurt. & alii, quos citat, & sequitur P. Suar. Lusit. tract. 1. d. 2. à n. 74. Prob: quia Dialectica exercet suas regulas in materia necessaria propria, & aliena; cùm in iis conficiat syllogismos; sed hoc ipsum est esse Utentem: ergo.

18. Arg.

18. Arg. 1. pro P. P. C. C. P. Fonſ. & aliis: Uſus in materia propria neceſſaria non diſtinguitur à doctrina; quia nullum conficit ſyllogiſmum, quin doceat: ergo Dialectica non eſt Utens in materia propria neceſſaria. Reſp. neg. antec: quia ut uſus ſumitur reſpectu unius, & ut doctrina reſpectu alterius; quod ſufficit ad diſtinctionem.

19. Stabilitur; 1. quia ſyllogiſmus confectus in materia probabili eſt Dialectica Utens; licet etiam ſit Docens reſpectu alterius ſyllogiſmi conſtruendi: ergo ita erit in materia neceſſaria. 2. ideo forma in materia probabili ſpectat ad Dialecticam; quia ibi exercet ſua præcepta: ſed id etiam præſtat in propria materia neceſſaria: ergo.

20. Arg. 2. Syllogiſmus in materia Phyſicæ confectus non eſt Logica, ſed Phyſica: ergo Dialectica nõ eſt Utens in materia neceſſaria aliarum ſcientiarum. Reſp. neg. antec: quia licet ſit intrinſice Phyſica, eſt extrinſice Logica, quatenus ab illa dirigitur, & regulatur: ſic actus pœnitentiæ imperatus a charitate eſt intrinſice pœnitentia, & extrinſice charitas ex eodem capite.

21. Arg. 3. Effectus non denominatur à ſua cauſa; calor enim, qui eſt effectus ignis, non dicitur ignis: ſed uſus in aliis materiis eſt effectus Dialecticæ Docentis: ergo non denominatur Dia-

Digitized by Google

alectica Utens. Resp. neg. mai. si effectus dirigatur à sua causa, ut dirigitur a Dialectica Docente usus in materiis aliarum scientiarum.

22. Ad insinuatam probationem maioris dic calorem non denominari ignem; quia ab igne non dirigitur. Firmatur solutio exemplis: 1. quia actus directus a Rhetorica dicitur Rhetorica. 2. quia gladius vulnerans dicitur ars gladiatoria utens, à qua dirigitur: ergo pariter philosophandum in casu argumenti.

23. Inst: Utens ferræ instrumēto non dicitur ferrâ utens: ergo neque scientia utens Logicæ regulis dicetur Logica Utens. Resp. neg. conseq; diversitas est: quia utens ferrâ non est praxis ferræ, nec ab illa dirigitur: at alia scientia dirigitur à regulis Dialecticæ; & hæc regulat illius definitiones, ut sunt ipsius praxis, & usus.

24. Arg. 4. Si usus Logicæ in quacumque materia est Logica Utens, Logica nō erit una, sed multiplex; cum aliæ scientiæ sint plures: sed hoc non est admittendum: ergo. Resp. neg. mai. quia omnes ii usus faciunt unam Logicam totalem, quatenus omnes respiciuntur à Logica sub una ratione formali aperiendi ignotum ex notis.

25. Arg. 5. Prima definitio v. g. *Definitio est oratio explicans naturam rei per genus, & differentiam* non supponit aliud dictam en Dialecticæ: sed eo ipso talis actus non est usus Dialecti-

cæ:

cæ: ergo non ſemper in propria materia neceſſaria eſt Dialectica Utens. Poſſet concedi totum; non enim aſſerimus, quod omnis actus ſit Logica Utens. Adhuc tamen.

26. Reſp. neg. mai; quia ſaltem ſupponit dictamen Dialecticæ naturalis, quatenus conformatur lumini naturali intellectûs ita dictantis eam definitionem. Unde talis actus per accidens nõ eſt Logica artificialis Utens; cũ careat dictamine artificiali: de ſe tamen, & in actu exercito eſt uſus Dialecticæ artificialis, quatenus ibi exercetur, quod fit per alios actus.

27. Arg. 6. Quidquid datur in ſyllogiſmo neceſſario in materia Dialecticæ, ſunt præcepta, ut viſitur in hoc: *Omnis ſyllogiſmus perfectus debet conſtare tribus terminis rectè complicatis: ſed hic ſyllogiſmus conſtat tribus terminis rectè complicatis: ergo eſt perfectus*: ergo totus ſyllogiſmus eſt Docens, & non Utens.

28. Reſp. neg. conſeq. quia ipſa præcepta ſunt redacta in formam ſyllogiſticam; & hoc ipſum eſt uti Dialecticam ſuis regulis: nam poterat quis ſcire regulas conficiendi ſyllogiſmũ, quin illum conficiat; proindeque utitur ſuis præceptis, dum illum conficit, & redigit eas regulas in formam ſyllogiſticam.

29. Elucidatur amplius: quia etiam in hoc ſyllogiſmo: *Nullus ſyllogiſmus conſtans aliqua præmiſſa probabili generat ſcientiam: atqui ſyllo-*

giſmus

gismus topicus constat aliqua ex præmissis probabili: ergo syllogismus topicus non generat scientiam: quidquid datur, sunt præcepta: & tamen ibi est Dialectica Utens, ut contrarii fatentur: ergo similiter.

SECUNDUM ASSERTUM.

30. REsolvo 2. In quacumque materia probabili, & pseudographa est Dialectica scientifice Utens. Ita P. Lync. in Logic. l. 2. tract. 3. c. 3. n. 30. Spinula in Logica d. 1. f. 5. n. 48. & alii. Prob. quia usus in materia necessaria est Dialectica scientifice Utens: sed eædem regulæ exercentur in materia probabili: ergo adhuc ibi est scientifice Utens.

31. Firmatur: 1. quia syllogismus opinativus adhuc est scientificus ex parte formæ; licet non ita sit materialiter, & ex parte objecti. 2. quia præcepta posita in praxi conservant adhuc rationem scientiæ in illa forma syllogistica, quã dirigunt; cum non amittant vim concludendi infallibiliter in materia probabili.

32. Arg. 1. pro P. Fonf. P.P.C.C. Ovisdo, & aliis. Syllogismus in materia probabili est opinativus: ergo non potest esse scientificus. Resp. neg. conseq. quia talis syllogismus habet rationem actûs cognoscitivi ad objectum, & vim concludendi: 1. ratio est opinativa, & 2. est ratio

tio formæ, quæ ex se infallibiliter concludit: ergo syllogismus erit opinativus ex parte materiæ, & scientificus secundum formam.

33. Stabilitur: 1. quia Dialectica Utens est ipsa Dialectica Docens posita in praxi: sed hæc non vitiatur à materia: ergo neque Dialectica Utens secundum id, quod habet a Dialectica Docente, nempe vim concludendi. 2. quia Dialectica est scientifice Docens circa probabilia: ergo etiam in eadem materia erit scientifice Utens.

34. Arg. 2. Usus in materia probabili tribuitur habitui, à quo producitur: sed producitur ab habitu opinativo circa eam materiam: ergo non est scientificus secundum formam. Resp. neg. mai: quia tribuitur habitui, in quo relucet bonitas actûs: cum vero habitus opinativus nil habeat scientiæ, non illi tribuitur, sed Dialecticæ, à qua dirigitur.

35. Inst: Actus charitatis directus à prudentia solum tribuitur charitati elicienti, & non prudentiæ, à qua dirigitur: ergo ita erit in casu argumenti. Resp. neg. conseq; diversitas est: quia habitus charitatis habet honestatem relucentem in actu charitatis; non ita vero habitus rationem artificii scientifici relucentem in syllogismo opinativo.

36. Arg. 3. Dialectica Utens non reddit scientem; cum non faciat cognoscentem: ergo in materia probabili nõ est scientifice Utens. Resp.

neg.

neg. antec. & illius probationem : quia reddit ſcientem in praxi, & exercitio; eſt enim uſus Dialecticæ Docentis. Deinde eſt cognoſcitiva; ſiquidem conſiſtit in actibus intellectûs, ſive propoſitionibus diſpoſitis in formam ſyllogiſmi.

37. Solidatur: 1. licet Dialectica Utens non eſſet cognoſcitiva, adhuc redderet ſcientem in praxi; quia circulus formatus juxta regulas Mathematicæ non eſt cognoſcitivus: & tamen dicitur ſcientificus, quatenus eſt conformis regulis ſcientiæ: ergo ſimiliter. 2. quia oſtendere in praxi ex probabilibus ſequi opinionem eſt ſcientia.

38. Arg. 4. Dialectica in materia Sophiſtica, & Pſeudographa non eſt ſcientifice Utens; quia circa falſum non datur ſcientia: ergo. Reſp. neg. antec. & inſinuatam probationem: cognitio enim Divina circa falſum eſt ſcientifica. Unde ſi uſus in iis materiis ſumatur formaliter, ſive ſecundum formam, eſt ſcientificus ob rationes hucuſque factas.

39. Adverte omnes actus cujuſlibet virtutis etiam pertinere ad prudentiam, ſi attendatur ad id, quod ſint prudenter eliciti: cum vero hoc ſit cõmune omnibus, ideo cõmuniter dicimus actum v.g. charitatis ſolum tribui habitui charitatis; quia loquimur de ratione magis ſpeciali, in quo ſenſu procedit ſolutio data num. 35.

QUÆS-

QUÆSTIO QUARTA.

Utrum *Dialectica sit scientia practica?*

40. DIco 1. Dialectica est rigorosè scientia. Ita P.P.C.C. in Log. q. 4. Proœmial. P. Lync. ibidem lib. 2. tract. 3. c. 2. an. 21. P. Ovied. in Log. controv. 2. pun. 3. & alii. Prob. quia Dialectica ex principiis evidentibus, & per evidentem consequentiam demonstrat essentiam v. g. definitionis: sed hoc ipsum est esse rigorosè scientiam: ergo.

41. Ostenditur maior in hoc syllogismo: *Explicatio debet esse clarior re explicata: sed definitio est explicatio definiti: ergo debet esse clarior definito*: ubi Dialectica demonstrat essentiã definitionis. Deinde ostendit, quod demonstratio debeat constare principiis certis, & ex ipsa gigni scientiam; ex syllogismo probabili opinionem.

42. Arg. 1. Dialectica Docens est instrumentum ad alias scientias: ergo non est scientia; instrumentum enim non est ejusdem rationis cũ re, ad quam est instrumentum. Resp. neg. antec. quia Dialectica non est instrumentum, sed solum præparat instrumenta ad alias scientias acquirendas, docendo modum differendi.

43. Additur, dato antecedente, negari posse consequentiam, & illius probationem: 1. quia malleus malleum conficit ejusdem rationis cum ipso;

ipſo. 2. quia inſtrumentum poteſt eſſe ejuſdem rationis ſaltem genericæ cum re, ad quam eſt inſtrumentum. Sic intellectus agens eſt inſtrumẽtum intellectûs patientis, licet uterque ſit qualitas. Sic Dialectica convenit cum aliis ſcientiis in ratione generica ſcientiæ.

44. Arg. 2. Ariſtoteles 2. Met. tex. 15. ait: *Abſurdum eſſe quærere ſimul ſcientiã, & modum ſciendi*: ſed Dialectica eſt modus ſciendi: ergo non eſt ſcientia. Reſp. neg. conſeq: quia Philoſophus ſolum vult abſurdum eſſe quærere ſimul ſcientiam diſtinctam à modo ſciendi; non vero ſcientiam in ipſo imbibitam, qualis eſt Dialectica.

45. Arg. 3. Scientia acquiritur per demonſtrationem: ſed non ita ſe habet Dialectica: cum enim doceat demonſtrationem, eſt prior ipſa: ergo. Reſp. diſting. mai: quo ad aliquos actus, conc: quo ad omnes, nego mai: quia ſcientia habet plura principia per ſe nota; & ideo nego minorem, & illius probationem.

46. Arg. 4. Ars non eſt ſcientia; quia præciſe reſpicit operabile: atqui Dialectica, utpote practica, etiam reſpicit operabile: ergo ex eodẽ capite non eſt ſcientia. Reſp. neg. mai: ideo enim ars non eſt ſcientia, quia reſpicit operabile non ſcientificè, ſed quaſi in fide parentum: aliter peſſime divideret Ariſtoteles ſcientiam in practicã, & ſpeculativam.

47. Arg. 5. Scientia agit de his, quæ talia sunt ex natura sua: sed Dialectica agit de actibus intellectûs, qui non diriguntur ex natura sua, sed ex nobis: ergo non est scientia. Resp. neg. min. quia licet ii actus habeant principium suæ existentiæ in alio; attamen si existant, exigunt existere hoc, vel illo modo dictato à scientia, ut recte existant.

48. Roboratur solutio: quia licet homo, de quo agit Metaphysica, non habeat ex se, quòd producatur; sed principium suæ existentiæ sit in alio; attamen postulat ex natura sua, ut, si existat, existat animal rationale, ut dictat Metaphysica: sed hoc ipsum currit in syllogismo, qui ita postulat existere, ut sit concludens: ergo.

49. Pro aliis scies 1. non omnem scientiam esse propter se, ut visitur in scientia practica, quæ ordinatur ad opus. Scies 2. modum sciendi posse aliter se habere quoad existentiam; quia potest existere, vel non existere; non tamen quoad vim concludendi. Sic Theologia circa actus liberos, qui possunt non esse, est scientia.

SECUNDA CONCLUSIO

50. Dico 1. Dialectica est scientia practica. Ita P. Font. 2. Metaphy. c. 3. q. 2. s. 4. P. P. C. C. q. 4. Procem. art. 1. §. *secunda sententia.* P. Oviedo Controv. 2. pun. 5. &

& plures alij. Prob: quia Dialectica omnia, quæ tractat, dirigit ad opus, & tradit regulas cõficiẽdi ſyllogiſmos, definitionẽ, &c: ſed hoc ipſũ eſt eſſe practicam: ergo eſt practica.

51. Arg. 1. pro Mag. Suar. P. Vaſquio, Compton. & aliis: Dialectica habet plures actus ſpeculativos; conſiderat enim ſyllogiſmos à ſe factos, quæ conſideratio eſt ſpeculativa: ergo ſaltem non eſt totaliter practica. Reſp. neg. antec. & inſinuatam probationem; quia Dialectica non ſiſtit in ea conſideratione.

52. Suadetur hoc: quia Dialectica ſolùm conſiderat ſyllogiſmos à ſe factos vel in ordine ad illos emmendandos, ſi emmendatione indigeant; vel in ordine ad alios ſimiles per jam factos regulandos: hoc autem, ut eſt perſpicuum, certe ſpectat ad praxim; cum non ſiſtatur in ipſa contemplatione.

53. Inſt. In ea conſideratione datur etiam ſpecialis cognitio ſyllogiſmi facti ut facti: ſed hæc non eſt practica: ergo. Reſp. neg. conſeq. quia ea cognitio pertinebit ad ſcientiam, vel notitiam experimentalem, & non ad Logicam; hujus enim cognitio propria tendit in illius objectum materiale, ut dirigibile; quod ibi non accidit.

54. Urg. Saltem dum Logica conſiderat proprietates ſui objecti, erit ſpeculativa: ergo. Reſp. neg. antec: quia illas conſiderat in ordine

ad syllogismum, vel demonstrationem, aut proprium ipsius finem. Verum est, quod syllogismus non procedat immediate à cognitione proprietatum; procedit tamen remote.

55. Arg. 2. Dialectica tractat de principiis: *Dici de omni, Dici de nullo*; cum ab illis pendeat vis syllogistica: sed illorum cognitio est speculativa: ergo. Resp. neg. min; quia agit de illis in ordine ad syllogismum. Deinde ea principia fiunt à Logica; quia efficit propositiones, in quibus aliud dicitur *de omni*.

56. Inst. Cognitio nutritionis, licet possit aliquo modo concurrere ad nutritionem faciendam, applicando cibos aptos, non est practica: ergo ita erit cognitio taliũ principiorum. Resp. neg. cons; diversitas est; quia cognitio practica est illa, quæ per se conducit ad operis executionem: hoc autem non accidit in cognitione nutritionis; maxime vero in cognitione talium principiorum.

57. Firmatur ulterius; quia nutritio fit naturali consecutione, sive cognitio præcedat, sive non; & consequenter hæc per accidens tantum concurrit ad faciendam nutritionem. Aliter se res habet in cognitione eorum principiorum; siquidem per se dirigit intellectum, ut absque formidine erroris, & scientifice conficiat syllogismum.

58. Arg. 3. Omnia præcepta Logicæ fiſtunt

in

in ipsa veritate: cum rectificent intellectum ad illam consequendam: ergo Logica est speculativa. Resp. neg. antec; quia Dialectica ordinat ipsam cognitionem veritatis ad aliquid efficiendum. Sic non sistit in cognitione definitionis, sed illam ordinat ad construendum syllogismũ.

59. Ad insinuatam probationem dic verum quidem esse, quod præcepta Logicæ ordinentur ad rectificandum actus intellectûs: id tamen præstant medio opere, ad quod immediate dirigunt: solum enim medio opere certificant, & dirigunt intellectum ad veritatem: ex quo dignoscitur ea præcepta esse in re practica.

60. Arg. 4. Omnes actus intellectûs, de quibus agit Dialectica, sunt speculatio; ergo ipsa nõ est practica. Resp. neg. conseq; quia licet tales actus sint speculatio circa suum objectum, sunt praxis respectu aliorum actuum ipsius intellectûs dictantiũ, quomodo talis speculatio sit facienda, v. g. syllogismus in *Barbara*.

61. Explicatur amplius solutio: quia hic syllogismus: *Omne vivens est substantia: omnis arbor est vivens: ergo omnis arbor est substantia*: si consideretur in ordine ad objectum, est cognitio speculativa; si ut modus concludendi in *Barbara* præscriptus, & directus à Dialectica, est praxis.

62. Inst. Intellectus extensione fit practicus: sed non extenditur ratione proprii actûs, sed

actûs alterius potentiæ : ergo actus intellectûs non sunt praxis. Resp. neg. min; quia vere progreditur ab uno actu proprio ad alium propriũ; immo per actus alterius potentiæ nõ extẽditur; cùm non sint cognoscitivi.

63. Solidatur: 1. quia actus intellectûs dirigens ad actus voluntatis est practicus: ergo etiam, si dirigat ad alios actus ipsius intellectûs. 2. quia ratio praxis sumitur ab objecto operabili: hoc autem optime cadit in actus intellectûs. Neque requiritur, qùod sit opus externum, ut visitur in actibus voluntatis, qui sunt praxis.

64. Neque hinc sequitur, qùod omnis præmissa sit practica respectu conclusionis; quia ad hoc necessarium erat, quod præscriberet modum, & regulas inferendi dictando: hoc autem non habent præmissæ, sed solùm ex ipsis per discursum infert intellectus conclusionem.

65. Arg. 5. Opus artificiosum, ad quod dirigit cognitio practica, debet cognosci, antequam fiat: sed Logica non præcognoscit modum faciendi; aliter præcognosceret suum objectum: ergo non est practica. Resp. neg. min; quia illum præcognoscit practicè, dum cognoscit terminos, & propositiones, ut seligantur ad syllogismum, & ad hoc instruit intellectum.

66. Inst. Artificium syllogismi stat in eo, qùod propositiones sint veræ, universales, affirmativæ, &c: sed hoc, cùm proveniat à causis natura-

turalibus, nō est dirigibile à Logica: ergo. Resp. neg. min; quia hæc omnia solum prouenium à causis naturalibus instructis dictamine logico, ut ita, & non aliter producant eos actus.

67. Pro aliis disce 1. Logicam agere de resolvendis syllogismis, & adhuc esse practicam; quia non sistit in ipsa resolutione, sed eam ordinat ad modum differendi perfectius conficiendum. Disce 2. Astrologiam, & Geometriam esse speculativas; quia non dirigunt per se, nec tradunt regulas ad opera, v. g. astrolabium, & triangulum, quæ his scientiis instructi homines aliqui efficiunt.

68. Disce 3. habitum scientiæ practicæ ex Aristotele esse illum, cujus finis est opus: speculativum vero, cujus finis est veritas. Ex quo liquet cognitionem practicam esse, quæ ex intrinseca natura sua dirigit ad opus exercendum: speculativam vero, quæ præter ipsam cognitionem ulterius non ordinatur ad aliquid faciendum.

69. Disce 4. hunc actum: *Definitio, & definitum recurrunt*: esse practicum; quia versatur circa conceptus formales, & dictat taliter debere construi definitionem, ut objective possit converti cum definito. Similem sensum habent aliquæ aliæ propositiones: & cum ad praxim dirigant, saltem æquivalenter erunt practicæ.

QUÆSITUM MULTIPLEX.

70. QUæres 1. an requiratur ad scientiam practicam, quod dirigat ad opus liberum, & contingens? Negat P. Oviedo in Logica Controv. 1. pun. 2. n. 10. P. Arr. in nova edit. d. 1. s. 4. à n. 58. Prob; quia cognitio constituitur practica per id, quod dirigat ad opus: ergo parum obstat, quod opus non sit liberum, & contingens.

71. Dices 1. Cognitio practica solum dirigit ad opus, quod ab illa potest deviare: sed opus necessarium non potest deviare: ergo. Resp. neg. mai; quia cognitio Divina de possibilibus creatis est practica, quin ipsa possint aliter fieri, atque dictatur à cognitione Divina. Neque ibi est superflua cognitio dirigens; cum inserviat ad denominationem directi.

72. Dices 2. Intellectus non movet absque appetitu, & voluntate, ut ait Philosophus 3. de anima, cap. 10. tex. 50: sed intellectum movere est practice illuminare: ergo requiritur opus liberum. Resp. neg. conf; quia loquimur de cognitione practica ex natura sua; & non de cognitione per accidens practica, in quo sensu loquutus est Aristoteles.

73. Stabilitur ulterius: 1. quia Beati in patria habent cognitionem practicam de dilectione Dei, non obstante, quod hæc sit necessaria. 2. quia

quia si post determinationem voluntatis ad unũ actum amoris illi adveniat cognitio dirigens voluntatem, talis cognitio erit practica, quin ibi detur libertas.

74. Dices 3. Operationes brutorum non sunt praxis defectu libertatis: ergo. Resp. neg. antec. Ideo enim non sunt praxis, quia non fiunt ex directione intellectûs; quod ex communi Philosophorum necessarium est ad rigorosam praxim. Quod non desinant esse praxis ob defectum libertatis, satis constat etiam ex supra dictis.

75. Quæres 2. an opus directum à Logica debeat subjacere imperio voluntatis, saltem necessario? Negat P. Arr. in Log. d. 1. s. 4. num. 63. Prob; quia semel, quod cognitio dirigat ad opus, est practica: & ad dirigendum satis est, quod non sistat in nuda veritatis comtemplatione; quod fieri potest absque imperio volũtatis.

76. Solidatur: quia actus dirigens ad primum actum voluntatis est practicus, quin præsupponat aliquod imperium; aliter procederetur in infinitum. Si sequitur cognitionem Æterni Patris de generatione Filii fore practicam, id tenet P. Arr. & alii T. T. Neque ad hoc requiritur, quod sit ad aliquid faciendum.

77. Quæres 3. an opus debeat necessario esse operabile ab ipso cognoscente? Affirmat P. Arr. in Log. d. 1. s. 4. n. 52. cum Mag. Suar.

P.

P. Mol. P. Comptono, & aliis Prob; quia cognitio dicitur practica, quatenus dirigit ad opus: sed solum dirigit reddendo intellectum cognoscentem: ergo solùm est practica respective ad objectum operabile à cognoscente.

78. Roboratur: 1. quia aliter homo haberet notitiam practicam animæ rationalis; cùm sciat, qua ratione à Deo produci possit: quod non est admittendum. 2. quia ex ea ratione proximè data in homine cognitio Verbi Divini non est practica.

79. Dices 1. Angelus habet cognitionem practicam susceptionis sacramentorum, cum ex vi talis cognitionis possit instruere hominem ad ea suscipienda: & tamen non sunt susceptibilia ab Angelo: ergo. Resp. neg. mai. ob dicta in minori. Unde solum erit practica respectu instructionis ad receptionem sacramentorum; cum illa sit factibilis ab Angelo.

80. Ex quo intelliges eam cognitionem Angeli fore simul speculativam, prout directè tendit in sacramenta: homo enim solum dirigitur à propria cognitione ad suscipienda sacramenta, & non à cognitione Angeli, quæ potest perire ante susceptionem sacramenti: & causa non existens non operatur.

81. Dices 2. Deus habet cognitionem practicam de modo committendi peccatum: sed talis modus non est factibilis à Deo: ergo. Resp. neg.

neg. maj. ob rationem datam in minori. Unde solùm ea cognitio erit practica, quæ dirigat Deum tanquam causam universalem, & voluntate permissiva ad concursum effectivum peccati. Hinc tamen

82. Colliges 1. Cognitionem lapidis obedientialiter producibilis à cognoscente non esse practicam; quia ad productionem lapidis per accidens omnino supponitur cognitio hominis producentis. Colliges 2. cognitionem dirigentem ad actus supernaturales solùm esse remote practicam, dum non accedit elevatio.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum *Dialectica sit distincta ab aliis scientiis?*

83. Resp. affirmative cum P. P. C. C. in Logica q. 4. art. 2. P. Arr. Lync. & aliis. Prob; quia scientiæ distinguuntur præcipuè per objecta formalia: sed Dialectica habet objectum formale distinctum ab objectis aliarum scientiarum, ut constabit ex infra dicendis d. 2. ergo. Firmatur: quia datur virtus Moralis ab aliis distincta, nempe Prudentia, ad regendos actus voluntatis: ergo una scientia ad regendos actus intellectûs erit Logica.

84. Arg. 1. Dialectica juxta Aristotelem 4. Metaphysicæ c. 2. non habet certam materiam: ergo

ergo non eſt diſtincta ab aliis ſcientiis. Reſp. diſting. antec: certam materiam remotam, concedo; quia ejus directio applicatur materiis aliarũ ſcientiarum: proximam, nego antec. & conſeq; quia habet actus intellectûs, prout ordinantur ad aperiendum ignotum ex notis.

85. Additur, conceſſo antecedente, negari poſſe conſequentiam; quia ſcientiæ magis proprie diſtinguuntur per objecta formalia, vel per materialia, prout ſtant ſub formalibus: igitur licet materia non ſit diſtincta, Dialectica diſtincta erit ratione objecti formalis diſtincti ab objectis aliarum ſcientiarum.

86. Arg. 2. Dialectica eſt bonitas conſequentiæ in materiis aliarum ſcientiarum: ſed hæc bonitas non diſtinguitur a ſcientiis, quarum eſt materia: ergo. Reſp. neg. min: 1. quia aliquando poteſt fieri per aſſenſum diſtinctum ab aſſenſu concluſionis. 2. quia ſaltem eſt diſtincta formaliter, quod ſatis eſt, ut objectum formale ſit diverſum ab aliis ſcientiis.

87. Arg. 3. Dialectica juxta Platonem eſt omnium ſcibilium contemplatio: ſed hoc habent aliæ ſcientiæ: ergo ab aliis non diſtinguitur. Reſp. neg. conſeq. quia loquimur de Dialectica proprie, & ſtricte ſumpta; & Plato Logicã accepit late pro qualibet ſcientia verum, & falſum dijudicante.

88. Suadetur adhuc amplius: 1. quia juxta

ta Platonem, & ipsius sectatores Dialectica præ-requiritur ad alias scientias: ergo ante illas jam dabatur integra Dialectica stricte sumpta; proindeque ab illis distinguitur. 2. quia alioquin aliæ scientiæ non essent distinctæ inter se; cum essent idem in uno 3. nimirum Dialectica, quæ in omnibus reperitur.

DUBIA INCIDENTIA.

89. DUbitabis 1. an Dialectica sit una scientia in specie? Affirmant P. P. C. C. q. 4. Procem. art. 3. P. Oviedo, Arr. in Log. d. 1. s. 3. num. 42. Prob. quia unitas scientiæ sumitur ab objecto formali in ordine ad objectum attributionis: sed Dialecticæ objectū formale, sub quo tendit in objectum attributionis, est unum specie, nempe dirigibilitas passiva: ergo.

90. Dices 1. Diversa est dirigibilitas ad syllogismum demõstrativum, & diversa ad probabilem: ergo. Resp. disting. antec. diversa physice, conc. diversa logice, nego antec, quia utraque logice sumitur in ordine ad idem objectum attributionis. Sic fides Divina est una specie moraliter, licet materiæ, in quibus datur, differant specie.

91. Dices 2. Plures sunt habitus Dialecticæ: sed hi possunt esse specie diversi: ergo etiam plures

plures scientiæ. Resp. neg. conseq. loquendo de scientiis totalibus; quia ex ipsis habitibus partialibus coordinatis sub eodem objecto formali resultat una collectio, sive scientia; sicut ex pluribus ordinibus una respublica.

92. Dubitabis 2. an Dialectica sit pars Philosophiæ? Affirmat P. Fons. 2. Met. c. 3. q. 3. sect. 3. P. P. C. C. q. 4. Procem. art. 4. & alii. Prob. quia Philosophia est *Cognitio rerum, ut sunt*, id est, per suas causas: sed Dialectica cognoscit partes sui objecti, ut sunt, de illisque demonstrat per vera principia proprietates: ergo. Deinde scientia Moralis est pars Philosophiæ: ergo etiam Dialectica.

93. Dices 1. Dialectica non considerat actus intellectûs, ut sunt in se, sed ut dirigibiles ad bene disserendum: ergo. Resp. disting. antec. ut sunt in se quoad entitatem, conc; quia hoc spectat ad Physicam: ut sunt in se quoad dirigibilitatem, nego antec. & conseq: quia hoc satis est, ut sit pars Philosophiæ.

94. Firmatur solutio; quia etiam scientia Moralis, quæ dirigit actus voluntatis, non illos considerat, ut sunt absolute, & quoad entitatem, sed in ordine ad bene vivendum: & tamen est pars Philosophiæ: ergo ita similiter Dialectica erit pars subjectiva Philosophiæ; sicut dicitur de Physica, & Metaphysica.

95. Dices 2. Dialectica est instrumentum Philo-

Philosophiæ: ergo non est illius pars. Resp. neg. antec; quia solum præparat instrumenta docendo modum differendi. Deinde, dato antecedente, nego conseq; quia bene potest esse instrumentum, & pars Philosophiæ: manus enim artificis est pars corporis, & simul instrumentum ad opera facienda.

96. Dices 3. Dialectica distinguitur ab aliis scientiis: ergo etiam à Philosophia. Resp. neg. conseq; si Philosophia sumatur, prout est cognitio rerum, ut sunt; quia Dialectica etiam est cognitio rerum, ut sunt, & per suas causas. Et Aristoteles, dum illam distinxit à Philosophia, usurpavit Philosophiam stricte pro sola Physica, vel Metaphysica.

97. Dices 4. Philosophia comparatur propter se: sed Dialectica cōparatur propter aliud, id est, propter dirigendos actus intellectûs, vel ad alias scientias comparandas: ergo non est pars Philosophiæ. Resp. disting. mai: si sit speculativa, conc. si practica, ut est Dialectica, nego mai. & conseq. Sic Ethica est propter mores, & pars Philosophiæ.

QUÆSTIO SEXTA.

Utrum actus Logicæ Docentis, & Utentis distinguantur?

98. RESolvo 1. Actus Dialecticæ Docentis

centis potest solum virtualiter distingui ab actu Dialecticæ Utentis. Ita cõmuniter. Prob; quia actus Dialecticæ Docẽtis est regula, & actus Utentis est regulatum: sed eadem res potest esse regula & regulata respectu diversorum: ergo tales actus possunt inter se distingui solum virtualiter.

99. Maior est certa, ostenditur minor: 1. quia idem actus potest esse cognoscens ut *quo*, & cognitus, si sit reflexus supra se ipsum: ergo etiam regula, & regulatus. 2. quia in hoc syllogismo: *Omnis explicatio debet esse clarior re explicata: sed definitio est explicatio definiti: ergo debet esse clarior*: idem actus docet definitionẽ, & est usus syllogismi.

100. Resolvo 2. Actus Dialecticæ Docentis potest realiter distingui ab actu Dialecticæ Utentis. Prob; quia quando unum potest dari sine alio, realiter distinguitur ab illo: sed potest dari actus Dialecticæ Docẽtis, quin sit actus Utentis: potest enim Dialectica tradere regulas conficiendæ definitionis, quin illam conficiat: ergo.

101. Dices 1. Actus Dialecticæ Utentis in materia propria necessaria est etiam actus Dialecticæ Docentis: ergo ita erit è converso. Resp. neg. conseq; diversitas est; quia actus scientiarum distinguuntur per materias: ergo cum 1. actus sit in materia necessaria Logicæ Docentis,

erit

erit intrinsece Logica Docens. Ratio quoad 2. partem constat ex proxime dictis.

102. Dices 2. Omnis actus Logicæ Docentis in materia aliena est actus Logicæ Utentis; cum sit exercitium modi differendi: ergo. Resp. Logicam non esse intrinsece Docentem actualiter in materia aliena ob rationem jam datam. Unde actus Utentis erit intrinsece actus illius scientiæ, cujus sit materia, & solum extrinsece, & directive Dialectica Docens.

103. Confirmatur: 1. quia effectio modi differendi est intrinsece actus ejus scientiæ, cujus est materia: ergo talis actus non est intrinsece Logicæ Docentis, sed solum directive; cum materia non sit propria. 2. quia intellectus potest per unum actum certificari de aliqua regula Logicæ, & eam exercere per alium, qui sit mera praxis.

SECTIO SECUNDA.

De Habitibus Dialecticæ.

104. NOmine *habitus* intellige hic qualitates ab speciebus memorativis distinctas, quæ facilitant ad actus similes iis, à quibus ipsæ fuerunt productæ. Supponimus hoc loci habitus esse distinctos ab speciebus memorativis, ut communior fert opinio.

Habitus juvant ad vincendas difficultates in operando occurrentes. His positis, sit

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum utriusque Dialecticæ idem sit habitus?

105. DIco 1. Idem est habitus in materia necessaria Dialecticæ. Ita P. Oviedo in Log. controv. 2. pun. 2. num. 14. P. Arr. P. Suar. Lusit. & alii. Prob: quia ille, qui optime scit regulas perfecti syllogismi, etiam est facilis ad illum construendum: sed habitus colliguntur à facilitate: ergo habitus Dialecticæ Docentis est idem, & concurrit ad actus Logicæ Utentis.

106. Stabilitur amplius: 1. quia non datur necessitas multiplicandi realiter eos habitus. 2. quia unus actus producit habitum inclinantem ad similes actus: sed actus Dialecticæ Utentis in materia propria necessaria est simul doctrina, ut supra diximus num. 101: ergo solum producet unum habitum inclinantem simul & ad usum, & ad doctrinam.

107. Arg. 1. Habitus Dialecticæ Docentis non potest inclinare ad usum formaliter: sed hoc necessarium est: ergo. Maior patet: quia habitus, cum non sit cognoscitivus, non potest inclinare ad usum ut regulatum per dictamen.

Resp.

Resp. neg. mai: quia fuit productus ab actu, qui erat usus.

108. Ad probationem dic satis esse, quod habitus inclinet ad actum in se regulatum, ut dicatur inclinare ad usum doctrinæ: siquidem concurrit ad totum actum, à quo non distinguitur dirigibilitas passiva. Neque requiritur aliqua reflexio supra regulas: virtus enim habitualis inclinat ad actus virtuosos, quin reflectat supra regulas rectæ rationis.

109. Arg. 2. Usus præcise ut usus non est doctrina: sed, hoc posito, non producet habitum inclinantem ad doctrinam: ergo diversus est habitus Dialecticæ Utentis, atque Docētis. Resp. neg. min: quia ille habitus secundum suam entitatem physicam producit, & à parte rei est simul doctrina: igitur parum obstat illa reduplicatio facta per intellectum.

110. Arg. 3. Actus producens habitum Dialecticæ Docentis potest esse solum doctrina juxta dicta num. 106: sed talis habitus non inclinabit ad usum; cum solum inclinet ad actus similes iis, à quibus fuit productus: ergo. Resp. neg. conseq: quia solum loquimur, quando actus producens habitum sit simul usus, & doctrina, ut patet ex dictis num. 106.

111. Arg. 4. Facilitas, quam quis absque regulis Dialecticæ acquireret in conficiendis syllogismis in *Darii*, non esset habitus Dialecti-

cæ Docentis: sed esset habitus Utentis: ergo non semper est idem habitus ad actus utriusque Dialecticæ. Potest dari totum ob dicta num. antec. adhuc tamen cum P. Oviedo controv. 2. pun. 2. num. 21.

112. Resp. neg. min: quia habitus Dialecticæ Utentis est facilitas ad actus directos regulis Dialecticæ, qualis non esset ea facilitas, utpote acquisita absque directione artis. Unde ea facilitas solum esset eadem ad actus utriusque Dialecticæ naturalis, quatenus produceretur ab actibus, quorum quilibet esset naturaliter Utens, & Docens.

113. Dico 2. In materia aliena non requiritur habitus facilitans ad usum diversus ad habitu materiæ, & Dialecticæ Docentis. Ita P. Fons. 2. Met. c. 3. q. 1. s. 6. Mag. Suar. in Metaphy. d. 44. f. 11. n. 54. Prob: quia nō datur difficultas, quæ non possit vinci ab habitu Logicæ, & scientiæ, cujus est materia: ergo superflue admittitur alius.

114. Explicatur amplius: quia difficultas in usu scientiæ, vel proveniret ratione materiæ; & hæc vincitur ab habitu scientiæ, cujus est materia: vel proveniret ratione formæ, & hæc vincitur ab habitu Dialecticæ: sed non apparet alia difficultas vincenda: ergo.

115. Arg. 1. pro P.P. C.C. Datur specialis difficultas in conjunctione materiæ, & formæ:

mæ: ergo est necessarius specialis habitus. Resp. neg. conseq: quia ea difficultas specialis potest vinci per adunationem habitûs materiæ, & formæ: sicut enim materia, & forma conjunguntur; ita etiam habitus adunantur ad vincendam eam difficultatem.

116. Arg. 2. Medicus optime sciens doctrinam Medicinæ, tentit difficultatem in usu: ergo ita erit in usu Dialecticæ in materia aliena. Resp. neg. antec. si ipse noscat etiam ægritudinem. Si vero eam ignoret, tunc dabitur difficultas in usu; quia hærebit circa medicamenta morbo applicanda. At simile quid non reperitur in nostro casu.

117. Arg. 3. Citharœdus apprime gnarus sæpe invenit difficultatem in usu, & exercitio pulsandi citharam: ergo similiter idem erit in usu Dialecticæ. Resp. neg. conseq; diversitas est: quia in 1. casu usus fit in diversa potentia ab ea, in qua est ars; præcepta enim sunt in mente, & manu exercentis; hæc autem potest esse minus apta ad usum; hoc autem non visitur in usu Dialecticæ, & ideo eadem est facilitas ad utrumque.

118. Arg. 4. Actus Dialecticæ Docentis, & actus Utentis distinguuntur specie; cum sint scientiæ specie diversæ: ergo non possunt procedere ab eodem habitu, saltem de facto. Resp. neg. conseq; quia actus Logicæ Utentis in ma-

teria Physicæ procedit elicitive ab habitu Physicæ, & directive ab habitu Dialecticæ.

119. Neque repugnat, quod diversi actus hoc modo procedant ab eodem habitu: siquidē cognitio, & volitio specie differunt; & tamen procedunt ab eodem intellectu; prima elicitive, & secunda directive: ergo etiam actus Dialecticæ Utentis in Physica, cum sit actus Physicus, procedet elicitive ab habitu Physicæ, & directive ab habitu Logicæ, à cujus præceptis dirigitur.

120. Dixi *saltem de facto*: quia aliquando potest actus Logicæ Utentis in Physica elici ab habitu Logicæ. Nam habitus illius scientiæ, de cujus materia certificor, concurrit effective ad actum certificantem: sed in syllogismo constructo in Physica potest quis certificari de materia Physicæ, & bonitate consequentiæ, circa quam versatur Logica: ergo.

QUÆSTIO SECUNDA.

Qualis sit concursus habituum in actus?

121. ASsero 1. Habitus Dialecticæ Docentis concurrit elicitive in actus ipsius Dialecticæ Docentis. Ita communiter. Prob: quia habitus concurrit effective ad actus similes iis, à quibus fuit productus: sed

ita

ita fuit productus à similibus actibus: ergo Concursus effectivus, & elicitivus idem est: directivus datur, quando solum medio dictamine dirigit actum.

122. Dices 1. Idem habitus concurrens ad usum in materia probabili non concurrit effective ad doctrinam: ergo resolutio non est absolute vera. Resp. neg. antec. si actus sit simul usus, & doctrina: quia habitus fuit productus à similibus actibus, & concurrit effective ad alios actus ejusdem rationis.

123. Expenditur solutio: quia hic actus: *Omnis syllogismus habēs præmissam probabilem generat opinionem: sed syllogismus topicus habet præmissam probabilem: ergo syllogismus topicus generat opinionem* producit habitum, qui est Logica docens syllogismum topicum generare opinionem, & simul est usus respectu actûs docentis syllogismum topicū constare aliqua ex præmissis probabili: ergo habitus producet actus similes.

124. Dixi supra: *si sit usus, & simul doctrina*: quia actus, qui non sit doctrina, solum procedit directive ab habitu Dialecticæ Docentis, quatenus hæc medio dictamine dirigit formam syllogisticam: habitus enim productus ab actibus, qui non sint doctrina, solum potest concurrere effective ad alios actus similes. Ex hac doctrina

125. Intelliges usum in materia sophistica, & pseudographa procedere directive ab habitu Dialecticæ Docentis, & elicitive ab habitu sophistico, & pseudographo; quia habitus scientificus, ut pote acquisitus mediis actibus scientificis, non concurrit ad actus probabiles, & opinativos; concurrit tamen directive, quatenus ipsi ab ea scientia dirigantur.

126. Dices 2. Habitus definitionis, v. g. termini non concurrit effective ad actum, qui sit usus, & simul doctrina in materia necessaria Logicæ: ergo conclusio non est vera. Resp. neg. antec: quia talis habitus fuit productus ab actibus definientibus terminum, qui erant usus, & doctrina: ergo potest producere actus similes.

127. Inst: Hic actus *Terminus est, in quem resolvitur propositio* est definitio: sed ab habitu docente, quomodo facienda sit definitio, solum procedit directive: ergo non fiat solutio. Resp. neg. conseq: quia licet procedat directive ab eo habitu, respectu cujus est usus; adhuc procedit elicitive ab habitu definitionis, respectu cujus est dictamen, ob rationem proxime factam.

128. Assero 2. Habitus Dialecticæ concurrit directive tantum ad actus in materiis aliarum scientiarum? Ita P. Arr. d. 3. ad Logicam s. 5. n. 38. & alii. Prob: quia habitus solum producit actus similes iis, à quibus fuit productus: sed non fuit productus ab actibus aliarum

scien-

scientiarum: ergo non concurrit ad illos elicitive: concurrit tamen directive, quatenus ii præceptis Logicæ conformantur.

129. Dices 1. Actus aliarum scientiarum sunt sub sphæra activitatis Logicæ: ergo procedunt elicitive à Dialectica. Resp. neg. conseq. quia tales actus solum sunt sub sphæra Logicæ quoad directionem; non vero quoad effectionem ob rationes proxime factas. Deinde actus in materia Physicæ solum procedit effective ab habitu Physicæ.

130. Dices 2. Artificium Logicum distinguitur ab actibus: ergo potest produci à Dialectica. Resp. neg. antec: quia tale artificium non distinguitur à forma syllogismi; hæc autem non distinguitur ab actibus. Neque ad scientiam practicam requiritur ea productio: actus enim dirigens artificem ad faciendam domum est practicus, licet non disponat lapides ad domum.

SECTIO TERTIA

De necessitate Dialecticæ ad alias scientias.

131. Dupliciter aliquid est necessarium: 1. simpliciter, & ad esse, sine quo finis obtineri non potest: sic necessarius est cibus ad vitam conservandã. 2. secundũ quid, & ad melius esse, id est, sine quo finis obtineri

tineri potest, illo tamen melius cōparabitur. Sic necessarius est equus ad iter commodius faciendum.

132. Item Dialectica duplex est; naturalis una, altera artificialis. Naturalis est intellectus habens vim ingenitam aperiendi ignotum ex notis. Artificialis est collectio præceptorum ordine digesta, & in methodum scientiæ redacta, & usu probata.

133. Scientia vel est totalis, vel partialis. Totalis est plurium habituum multitudo ad eandem materiam pertinens: partialis est una aliqua conclusio scientiæ totalis, v. g. Logicæ, aut Metaphysicæ. His positis, non est dubium Dialecticam naturalem esse simpliciter necessariam ad scientias comparandas; cum sine lumine intellectûs scientiæ nequeant comparari. Igitur de Logica artificiali sit

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum *Logica sit simpliciter necessaria ad alias scientias?*

134. REsolvo 1. Logica habitualis non est simpliciter necessaria ad alias scientias comparandas. Prob: quia nullus habitus acquisitus, qualis est Logicus, dat simpliciter posse, sed solum facile operari: ergo supponit

ponit actus absolute fieri posse sine his; eadem enim est ratio de his, ac de primo: ergo Logica habitualis non est simpliciter necessaria ad alias scientias comparandas.

135. Resolvo 2. Dialectica actualis non est simpliciter necessaria, ut comparetur scientia etiam totalis. Ita P. Fons. 2. Metaphy. c. 3. q. 4. 1. 1. P. P. C. C. in Log. q. 6. art. 2. & alii. Prob: quia intellectus vi solius luminis naturalis potest acquirere aliquem, vel aliquos actus cujuscumque scientiæ: sed, aliquibus acquisitis, potest comparare alios, & omnes; cum unus non impediat alium, imo adjuvet: ergo.

136. Roboratur: 1. quia intellectus solo lumine naturali invenit regulas, & conclusiones Dialecticæ artificialis: ergo ita similiter poterit invenire regulas, & conclusiones aliarum scientiarum. 2. quia experientia constat homines penitus carentes Dialectica artificiali habere actus scientificos, & recte deducere conclusiones.

137. Arg. 1. pro Mag. Suar. Rub. Oviedo, & aliis. Scientia formaliter est cognoscere causam, ob quam res est, & fieri non posse, ut aliter se res habeat: sed hæc non possunt cognosci sine Dialectica artificiali: ergo. Resp. neg. min: quia intellectus id cognovit quoad 1. actum Dialecticæ artificialis: ergo ita poterit cognoscere in aliis scientiis.

139. Arg. 2. Scientia perfecta resolvit concluſi-

clusiones ad prima principia: sed sola Dialectica artificialis docet hoc modo resolvere; & ideo vocatur *Analytica*: ergo. Resp. neg. min: quamvis enim sola Dialectica artificialis doceat resolvere facile, & absque periculo errandi; etiam Dialectica naturalis id absolute docet, & sufficienter penetrat prima principia.

139. Arg. 3. Virtus Moralis, nempe Prudentia, est simpliciter necessaria ad alias virtutes morales: ergo etiam Dialectica ad alias scientias. Resp. neg. antec. cum D. Thom, quem sequitur P. Arr. tom. 5. Theol. d. 50. s. 1. quia potest exerceri obedientia, quin detur specialis habitus prudentiæ, & ad talem actum sufficit aliquod judicium prudens.

140. Arg. 4. Ad scientiam requiritur, quod cognoscatur bonitas consequentiæ: sed hoc solum cognoscitur per Dialecticam Artificialem: ergo hæc est simpliciter necessaria. Resp. neg. min: satis enim est, quod in actu exercito cognoscatur bonitas consequentiæ, & penetrentur præmissæ; & totum hoc fieri potest per Dialecticam naturalem.

141. Arg. 5. Licet intellectus vi sua possit habere aliquem actum scientiæ, non sequitur, quod possit acquirere omnes: ergo non stat fundamentum. Resp. neg. antec: quia intellectus superando unam difficultatem non obtunditur, imo acuitur ad superandas alias. Sic vincens unũ mili-

militem potest divisim vincere omnes, si vires sint integræ.

SENSUS ALTER.

142. REsolvo 3. Dialectica est necessaria, ut aliæ scientiæ melius cõparentur. Ita P.P.C.C. q. 6. Procem. art. 2. §. *Quia in re*, & alii. Prob: quia artifex expeditior est ad opera artis, cum parata habet instrumenta: sed Dialectica præparat instrumenta, nimirum aptas differendi formas: ergo est necessaria ad melius esse.

143. Arg. 1. Multi cum laude comparaverunt scientias absque Dialectica: ergo. Resp. neg. conseq: quia solum eas compararunt multo labore; facilius tamen, & perfectius assequerentur, si essent instructi regulis Dialecticæ artificialis. Hoc etiam extenditur ad navantes operam Mathematicis.

144. Arg. 2. In tradendis artibus à facilioribus incipiendum est, ut ait Aristoteles. 5. Metaphy. c. 1: sed Dialectica artificialis est multo difficilior aliis scientiis: ergo ad illas non requiritur. Resp. mai. esse veram, quando difficiliora non sunt necessaria ad faciliora comparanda, ut est Dialectica ad alias scientias.

145. Arg. 3. Metaphysica præsupponitur ad Dialecticam artificialem: ergo saltem non requiri-

quiritur Dialectica ad eam ſcientiam. Oſtenditur antec: quia ut Dialectica explicet Definitionem, Diviſionem, & Argumentationem, prius debet cognoſcere rerum eſſentiam, & principia: hoc autem ſpectat ad Metaphyſicam.

146. Reſp. neg. antec: quia ad Dialecticæ munus exercendum ſatis eſt, quod eſſentia, & rerum principia præſupponantur cognita per Dialecticam naturalem: ſolum enim ea explicare eſt proprium Metaphyſicæ. At Dialectica artificialis non explicat eſſentiam, cum non ſit neceſſarium, ut tradat modos diſſerendi, ſed ſolum tradat modum illam explicandi.

147. Arg. 4. Dialectica artificialis acquiritur perfecte cũ ſola Dialectica naturali: ergo ita erunt aliæ ſcientiæ. Reſp. neg. conſeq; diſparitas eſt: 1. quia ſola Dialectica tradit regulas diſſerẽdi; & ideo ſe ſola facilius addiſcitur, quam aliæ ſcientiæ. 2. quia una pars Dialecticæ artificialis aliâ juvatur; quod non accidit in aliis.

148. Inſt. Etiã in aliis ſcientiis, v. g. in Phyſica, una pars aliam juvat: ergo non ſtat ſolutio. Reſp. neg. conſ; diverſitas eſt: quia ſola Dialectica tradit regulas ad diſſerendum; illiſque utitur: & ideo una pars aliam juvat, & hæc aliam, donec tota Dialectica perfecte acquiratur. Hoc autem non evenit in aliis ſcientiis, cum non tradant diſſerendi modos.

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA.

De objecto adæquato Dialectica.

1. OBjectum est, quod actibus alicujus potentiæ objicitur, & alio nomine appellatur subjectum. In quavis scientia unum est *materiale*, *formale* alterum: primum est, quod attingitur ratione formalis, cui subjicitur: secundum est, quod per se attingitur à scientia. Clarioris doctrinæ gratia

2. Utrumque objectum explicatur exemplo potentiæ visivæ: lux, & color sunt objectū formale; quia per se primo attingūtur ab oculo: & paries v. g. est objectum materiale, quia attingitur ratione lucis, & coloris. Unde per analogiam ad materiam, & formam physicam lapis dicitur visus materialiter, & color visus formaliter: quia lapis est veluti materia, & color veluti forma lapidis.

3. Objectum formale aliud est *propter quod*, & aliud *sub quo*: primum est ratio motiva, id est, principia scientiæ ad inferendam conclusionem. Secundum est ratio illa, sub qua objectum manet capax, ut percipiatur à scientia; & consistit in quadam non repugnantia, quam habet objectum, ut ab aliqua potentia attingatur.

4. Ma-

4. Materiale dividitur in objectum Attributionis, & Attributi: primum est, ad cujus exactam cognitionem per se diriguntur aliæ cognitiones, quæ à scientia tractantur. Secundum est, cujus cognitio ordinatur ad cognitionem objecti Attributionis. His obiter perstrictis, & brevi syllabo prænotatis, sit

SECTIO PRIMA.

De objecto materiali Dialectice.

QUÆSTIO PRIMA

Utrũ *Conceptus formales sint objectũ materiale?*

5. Resp. affirmative cum Mag. Suar. in Metaph. d. 1. s. 4. P. Oviedo in Log. controv. 2. pun. 1. P. Arr. Compt. & aliis. Prob: quia illud est objectum materiale, quod attingitur ratione formalis: sed conceptus formales attinguntur ratione dirigibilitatis, quæ est objectum formale; ideo enim de illis agit, quia sunt ordinabiles, & dirigibiles: ergo.

6. Arg. 1. Aliqui actus intellectûs sunt essentialiter veri: ergo saltem hi non sunt objectũ materiale Logicæ; cum enim non sint indifferentes ad habendam rectitudinem, non possunt ad illam

illam dirigi. Resp. neg. conseq., & illius probationem: quia tales actus possunt existere conformes regulis Dialecticæ, & hoc modo dirigunt tur.

7. Firmatur: 1. quia in eos actus inducit Logica suam formam, & artificium Logicum: & ratione istius formæ à nulla alia scientia tractantur: ergo. 2. quia dilectio Dei, quam Beati habent in patria, dirigitur à cognitione, licet sit necessaria, & non possit non esse recta: ergo idē erit in casu argumenti.

8. Arg. 2. Conceptus formales sunt objectum Animasticæ: ergo non sunt objectum materiale Logicæ. Resp. disting. antec: sunt objectum Animasticæ quoad suam entitatē physicam, conc. quoad dirigibilitatē passivam, nego antec., & conseq: quia sola Dialectica dat regulas, quibus per illos definiamus, & argumentemur.

9. Arg. 3. Actus intellectus inducunt artificium Logicum in objectum materiale Logicæ: ergo ipsi non sunt objectum materiale: aliter inducerent artificium in se ipsos. Resp. neg. conseq. & illius probationem: quia tale artificium inducitur in actus diversos à dirigentibus, qui solum sunt objectum materiale, ut dirigibiles, & non ut inducentes artificium.

10. Inst. Saltem si actus sint dirigentes se ipsos, non erunt objectum materiale Logicæ: ergo.

ergo. Resp. neg. antec: quia etiam tunc solum inducunt artificium Logicum in se ipsos, ut dirigibiles, in quo sensu sunt objectum materiale Logicæ. Sic idem actus absque contradictione est repræsentatio sui, & supra se ipsum reflexus,

11. Arg. 4. Munus Logicæ est prævenire, ne detur error in scientiis: sed radix erroris non est in actibus intellectûs: ergo hi non sunt objectum proprium Dialecticæ. Resp. neg. min: quia error ex eo provenit, quod res cognoscatur ab intellectu aliter, atque est in se; hoc autẽ est in ipso intellectu.

QUÆSTIO SECUNDA.

An apprehensio sit objectum materiale Logicæ?

12. AFfirmativam sententiam tenent P. Fonsec. 2. Met. c. 3. q. 1. s. 5. P. Oviedo in Log. P. Rubius ibidem q. 6. Arr. & alii. Prob: quia apprehensio est dirigibilis à Dialectica: sed omne dirigibile est illius objectum: ergo. Ostenditur maior: quia apprehensio conformatur regulis Dialecticæ. Hoc adhuc

13. Suadetur amplius: quia Dialectica præcipit, ut in definitione hominis apprehendatur animal tanquam genus, & rationale ut differentia: ergo si apprehensio ita repræsentet, erit conformis regulis Dialecticæ. Deinde termini

menta-

mentales possunt esse puræ apprehensiones; & termini mentales diriguntur à Dialectica.

14. Arg. 1. Apprehensio non est modus sciendi: ergo neque objectum materiale Logicæ. Resp. dist. antec: non est modus sciendi rigorosus, & immediatus, concedo; quia non facit perfecte scire per affirmationem: minus rigorosus, & mediatus, nego antec. & conseq: quia inservit ad modum sciendi; dum conducit ad syllogismum, medio judicio.

15. Roboratur: 1. quia aperit ignotum ex notis; homo enim clarius repræsentatur, dum concipitur *Animal rationale*, quam dum concipitur solum hic terminus *Homo*. 2: quia ut apprehensio sit objectum materiale, sufficit, quod sit ab ea dirigibilis, quanvis nullatenus esset in se modus sciendi.

16. Inferes: ergo saltem apprehensio simplex non erit objectum materiale Logicæ. Ante solutionem scito apprehensionem simplicem esse, quæ repræsentat terminum simplicem, v. g. *Homo*; complexam vero, quæ repræsentat terminum complexum, sive ex pluribus terminis constantem, v. g. *Animal rationale*. His præscitis.

17. Resp. neg. illationem: 1: quia etiam talis apprehensio dirigitur à Logica: hæc enim præcipit ex omnibus hominibus apprehendere gradum cõmunem; & hinc procedere ad judi-

candum id, in quo omnes homines conveniunt: ſed ea cognitio gradûs cõmunis eſt ſimplex apprehenſio: ergo. 2. quia vere aperit ignotum ex notis, v. g. ex individuis gradum cõmunem nobis ignotum.

18. Arg. 2. Actus Phantaſiæ, & ſenſuum non ſunt objectum materiale Logicæ: ergo neque apprehenſio. Reſp. neg. conſeq. diſparitas eſt: quia ſolum actus ſunt dirigibiles à Logica, qui poſſunt percipere illius doctrinam: & hoc ſolum cadit in actus intellectûs, & non in actus potentiarum materialium, qui ſolum feruntur in res ſenſibiles.

19. Arg. 3. Primæ apprehenſiones non ſunt dirigibiles: ergo neque ſecundæ. Reſp. 1. neg. antec.: quia tales apprehenſiones poſſunt cognoſcere id, quod præcipitur, & quomodo præcipitur à Logica, v. g. gradum cõmunem ex individuis, & ſic conformari regulis, & normis Dialecticæ: ergo ſunt dirigibiles à Logica.

20. Reſp. 2. neg. conſeq., diverſitas eſt: quia ante primam apprehenſionem non advertit intellectus ſe male apprehendere, neque eam ſemel productam poteſt corrigere: at, poſtquam errorem advertit, poteſt ab illa deſiſtere, & aliam ejus loco ſubrogare juxta regulas Dialecticæ. Hæc ſolutio eſt probabilis, ſed prima probabilior.

21. Arg. 4. Apprehenſiones non dirigun-

tur

tur ante exiſtentiam; cum enim tunc nil ſint. ſunt incapaces directionis: non diriguntur poſt exiſtentiam; quia ſemel productum non poteſt corrigi: ergo. Reſp. neg. 1. partem antecedentis: quia ad id ſatis eſt, quod exiſtant radicaliter, & in ſua cauſa. Sic opus artificiale, antequam fiat, dirigitur ab arte.

QUÆSTIO TERTIA.

An voces ſint objectum materiale Logicæ?

22. AFfirmant P. Fonſ. 2. Met. c. 3. q. 1. ſect. 5. P. Lync. in Log. lib. 2. c. 1. n. 1. Spinula ibidem d. 2. ſ. 2. à n. 9. P. Santacrus, & alii. Prob. quia voces ſunt dirigibiles, quatenus participant à conceptibus vim, & artificium Logicum: ſed quod eſt dirigibile, eſt objectum materiale: ergo voces ſunt objectum materiale Logicæ.

23. Stabilitur: 1. actus externus prudentiæ, quia participat directionem ab actu interno prudentiæ, ad illam ſpectat: ergo etiam quia voces habent à conceptibus vim formæ ſyllogiſticæ, pertinebunt ad Dialecticam. 2. quia propoſitio Dialectica dividitur in vocalem, mentalem, & ſcriptam. 3. quia Logica inquirit, quid ſit nomen, & verbum.

24. Arg. 1. pro Mag. Suar. P. P. CC. O-

viedo, & aliis. Voces ſolum ſpectant ad Logicã ut ſigna, quatenus per voces explicatur; quod quidem eſt cõmune omnibus ſcientiis: ſed voces non ſunt objectum materiale aliarum ſcientiarũ: ergo neque Logicæ. Reſp. neg. mai: Logica enim utitur vocibus, quatenus aperiunt ignotum ex notis; & ideo illas conſiderat, & aptat. At non ita agunt de vocibus aliæ ſcientiæ.

25. Arg. 2. Dirigere voces ſpectat ad Grãmaticam: ergo non ad Dialecticam; ac proinde voces non ſunt illius objectum. Reſp. dirigere voces quoad ſignificationem Grammaticalem ſpectare ad Grãmaticam; non vero quoad ſignificationem Logicam; hæc enim pertinet ad Logicos; & ideo nego conſequentiam.

26. Solidatur: 1: quia ad Grãmaticam ſolum ſpectat loqui ſine errore; non vero, quod definitio vocalis debeat conſtare genere, & differentia; & quod ſyllogiſmus debeat ita, vel ita diſponi: ergo quod hæc reperiantur in vocibus, ſpectat ad Logicam. 2. quia ad Rhetoricam ſpectat, quod voces ita ſint diſpoſitæ, ut ornate, graviter, & copioſe fluant: ergo &c.

27. Arg. 3. Actus externus prudentiæ pertinet ad prudentiam; quia eſt illius effectus: ſed voces non ſunt effectus conceptuum: ergo neque objectum materiale Logicæ. Reſp. neg. min: quia actus externus eſt effectus, quatenus dirigitur ab actu interno prudentiæ: cum vero

voces

voces quoad artificium Logicum dirigantur à conceptibus, etiam ſunt effectus conceptuum, & ſpectant ad Logicam.

28. Inſt. Rhetor eſt ad alios, & Logicus ad ſe, ut ait Ariſtoteles: ergo Logica non habet pro objecto voces, quæ ſunt in ordine ad alios. Reſp. neg. conſeq: quia Philoſophus ſolum vult Logicam non æque principaliter agere de vocibus, atque de conceptibus, non tamen excludit voces: ait enim Logicam agere de æquivocis, quæ fiunt in vocibus.

29. Multipliciter conſiderantur voces: 1. ut ens, & pertinent ad Metaphyſicam: 2. ut ſonus oris, & ſpectant ad Animaſticam: 3. ut numerus ſonorus, & pertinent ad Muſicam: 4. ut ornatus ſermonis, & pertinent ad Rhetoricam: 5. ut ſignificativæ abſque errore, & ſpectant ad Grámaticam: 6. ut exprimentes artificium concludendi, & ſpectant ad Logicam.

30. Arg. 4. Voces ſunt ſigna conceptuum, ſicut hi ſunt repræſentationes rerum: ſed Phyſica agens de rebus non habet pro objecto conceptus: ergo neque Logica voces. Reſp. neg. conſeq: diverſitas eſt; quia Phyſica non reperit in conceptibus rationem entis mobilis phyſici, quod eſt illius objectum. At Logica habet in vocibus modum aperiendi ignotum ex notis, qui certe ab illa reſpicitur.

31. Pro aliis ſcies 1. mutum eſſe Logicum,

quanvis non loquatur; quia Logica in muto habet vim dirigendi voces, licet per accidens actu non dirigat. Sic Angelus ſuam habet locutionẽ (in quocunque illa conſiſtat) quam poteſt dirigere per regulas Dialecticæ; & ideo eſt verus Logicus, & Dialecticus.

32. Scies 2. Mathematicam etiam habere pro objecto minus præcipuo ſphæram ligneam, quatenus in illa demonſtrat 12 ſigna inſtar cæleſtium, & lineas è medio puncto ad extrema ductas eſſe æquales, ut ait P. Lync. ſupra citatus n. 14. Scies 3. unam ſolum eſſe Logicam, licet voces diverſi idiomatis ſint plures: quia unicum eſt objectum formale in omnibus.

33. Scies 4. ſcripturam etiam eſſe objectũ materiale Logicæ; quia in illa militat eadem ratio. Deinde Ariſtoteles dividit propoſitionem, de qua agit Logica, in mentalem, vocalem, & ſcriptam. Non idem dicendum de nutibus: modus enim diſſerendi, quem reſpicit Logica, eſt oratio, qua ignotum ex notis aperitur: oratio autem non reperitur in nutibus.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrũ *Conceptus objectivi ſint objectum materiale Logicæ?*

34. REſp. neg. cum P. Oviedo controv.

trov. 2. pun. 1. num. 19. P. Arr. P. Compt. & aliis. Prob: quia ſolum illud eſt objectum materiale Logicæ, in quod ipſa inducit ſuã formam: ſed non inducit ſuam formam in conceptus objectivos, ſive objecta conceptuum: ergo conceptus objectivi non ſunt objectum materiale Dialecticæ.

35. Firmatur reſolutio: 1. quia objective poteſt Logica de Deo, & Angelis agere; & tamen nec illos dirigit, nec illis applicat ſuum artificium. 2. quia non curat, an ſyllogiſmus fiat in materia Phyſicæ, aut Metaphyſicæ; ſed ſolũ, ut recte concludat: eſt enim ars diſſerendi, & ſolũ ad hoc attendit, & non ad res, quæ diſſeruntur.

36. Arg. 1. pro P. Lync. Hurt. & aliis: Logica agit de prædicato, & ſubjecto: ſed hæc conveniunt rebus, & non conceptibus: ergo. Reſp. diſting. mai: de prædicato, & ſubjecto ſumptis pro formali, nempe conceptu, conc: pro materiali, nego mai: & diſtincta ſimiliter minori, nego conſeq: quia ſolum inducit ſuam formam in conceptus, & non in objecta illorum.

37. Arg. 2. conceptus formales ſunt imagines objectorum, cum quibus habent connexionem eſſentialem: ergo non poſſunt dirigi à Logica, quin dirigantur ipſa objecta. Reſp. neg. conſeq: quia Dialectica ſolum conſiderat conceptus, quatenus ſunt dirigibiles, & non attendit ad omnia ſua prædicata eſſentialia, quæ ſpectant

ctant ad alias scientias.

38. Neque ex eo, quod conceptus essentialiter connectantur cum objectis, bene infertur Logicam de objectis agere: 1. quia alioquin Physica aget de Deo, cum agat de ente mobili, quod connectitur cum Deo. 2. quia faber ferrarius solum considerat ferrum ductile; non vero secundum materiam, & formam, licet illas includat essentialiter.

39. Arg. 3. Logica tradit regulas observandas in materia probabili: ergo de illa agit. Resp. neg. conseq: quia Logica solum tradit regulas conceptibus circa materiam probabilem versantibus, quatenus docet, quomodo ipsi conceptus formales se habere debeant in tali materia; & non eas præbet ipsi materiæ.

40. Arg. 4. Objectum domifactivæ non est ædificatio, sed domus ædificata: ergo etiam objectum Logicæ non erit v. g. sola definitio, sed objectum definitum. Resp. neg. conseq; diversitas est: quia domifactiva est ars efficiens; igitur cum semper aliquid efficiat in rebus, illud habet pro objecto. At Logica præter directionem conceptus, nihil aliud respicit, aut efficit; igitur solum habet pro objecto conceptus, & non res.

41. Inst. Concretum ex definitione, & definito spectat ad aliquam scientiam: sed non apparet alia præter Logicam: ergo. Resp. spectare

ad

ad Logicam ratione definitionis; & ratione rei definitæ ad scientiam, cujus est materia. Sic concretum ex magnitudine, & quantitate solum secundum magnitudinẽ spectat ad Geometriam.

42. Arg. 5. Logica agit de veritate, & falsitate: sed veritas, & falsitas saltem ex parte consistit in conceptibus objectivis: ergo. Resp. 1. neg. min: quia est adæquate intrinseca actibus intellectûs. Resp. 2. Logicam solum agere de veritate, & falsitate secundum id, quod est dirigibile, nempe actum; & non secundum objectum.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrũ *Ens rationis sit objectum materiale Logicæ?*

43. REsp. neg. cum P. Fons. 2. Metaphy. c. 3. q. 1. P. Oviedo in Log. controv. 2. pun. 1. n. 38. P. Arr. Hurt. Lync. & aliis. Prob: quia Dialectica agit de modo sciendi, qui est quid reale; sed ens rationis est quid fictum; cum totum illius esse pendeat ab intellectu fingente: ergo. Minor est certa.

44. Suadetur maior: quia modus sciendi cõsistit in Definitione, Divisione, & Argumẽtatione, quæ sunt operationes reales intellectûs. Firmatur: 1. quia Logica non agit per se de rebus, sive conceptibus objectivis: ergo neque de

ente

ente rationis. 2. quia absque fictione operationes intellectûs conformantur regulis Logicæ.

45. Arg. 1. pro Thomistis. Logica agit de actibus intellectûs formaliter sumptis: sed hæc forma est rationis: ergo agit de ente rationis. Resp. disting. mai: formaliter, id est, sub collocatione maioris, minoris, & consequentiæ, conc: sub aliquo ordine, & relatione rationis, neg. mai. & min. in 1. sensu distinctionis, ob dicta in conclusione.

46. Arg. 2. Dialectica est scientia rationalis: sed ideo est, quia agit de ente rationis: ergo. Resp. neg. min: ita enim vocatur, quia agit de actibus intellectûs, qui sunt operationes naturæ rationalis. Et dicitur agere de ente rationis, & secundis intentionibus, quatenus *ens rationis* sumitur pro conceptibus, qui fiunt à ratione, sive intellectu, & sunt secundæ intentiones.

47. Arg. 3. Dialectica agit de definitione reali: ergo etiam de definitione rationis sibi contraria; Metaphysica enim agit de ente rationis, quia opponitur reali. Resp. Dialecticam agere de definitione reali, non qualibet, sed bona; huic autem non contrariatur definitio rationis, & ficta, sed mala, de qua etiam agit Logica.

48. Solidatur ratione: quia scientia agit de oppositis suo objecto ob periculũ errandi, quod in illis datur: hoc autem nullum est in definitione ficta, quæ spectat ad Metaphysicam. Hæc

agit

agit de ente rationis: quia habet pro objecto primario ens ut reale, cui opponitur ens fictum, & rationis.

49. Inſt. Logica diſputat, an ens rationis ſit illius objectum: ergo illud reſpicit. Reſp. diſting. antec: diſputat inquirendo, quid ſit ens rationis, quale, & quotuplex, nego: diſputat, negando eſſe ſuum objectum, conc. antec; & nego conſeq: quia tunc ſolum reſpicit actus, per quos id negat. Sic intellectus diſputat, an aliquid ultra verum ſit illius objectum, quin aliquid ultra verum ſit illius objectum.

50. Arg. 4. Dialectica agit de genere, & ſpecie: ſed hæc ſunt entia rationis; cum ſolum habeant eſſe per intellectum: ergo. Reſp. neg. mai: quia Logica non agit de genere, & ſpecie, ſed de conceptibus, in quibus repræſentantur, qui ſolum diriguntur ad ſyllogiſmos univerſales, & definitiones, diviſiones, & argumentationes.

51. Inſt. Logica docet illam propoſitionẽ eſſe univerſalem, quæ habet objectum univerſale; & definitionem debere conſtare genere, & differentia: ergo agit de genere, & ſpecie. Reſp. neg. conſeq: quia licet agat indirecte, quatenus inſerviunt ad explicandam naturam conceptuum; non agit tamen directe de genere; quod ſolum negamus.

52. Inf. Ergo dum Dialectica definit chi-

mæri-

mæricam definitionem, ſolum habet pro objecto directo actum definientem, & dantem regulas ad definitionem, & non rem definitam. Reſp. conc. illationem: quia aliter haberet pro objecto directo omnia entia; cum in omnibus tradat regulas, ut modus diſſerendi exerceatur.

SECTIO SECUNDA.

De objecto formali Dialecticæ?

53. OBjectum formale aliud eſt objectum *Quod*, & alterum *ſub quo*. Objectum *Quod* dicitur illud, quod per ſe conſideratur, ſive eſt per ſe expetibile à ſcientiâ. Objectum *ſub quo* eſt ratio illa, ſub qua talis ſcientia tendit in objectum, & illud appetit. Adhuc vide, quæ ſupra diximus à num. 1; ne eadem ſæpius repetamus.

54. Ad meliorem intelligentiam tradendæ doctrinæ obſerva duplicem eſſe directionem: una dicitur activa, & eſt dictamen præſcribens regulas ad bene diſſerendum: altera eſt paſſiva, & conſiſtit in illa ratione, per quam modus diſſerendi fit conformis directioni activæ, & regulis, ſive dictamini Dialecticæ.

55. Hæc directio paſſiva vel eſt intrinſeca, vel extrinſeca: prima eſt, quæ ſe habet ex parte actuum intellectûs, qui diriguntur, & illos conſtituit

ſtituit aptos dirigi; alio nomine dicitur capacitas, ut ipſi actus conformentur præceptis Logicæ. Secunda eſt denominatio proveniens actibus intellectûs à directione activa. His poſitis, ſit

QUÆSTIO PRIMA.

Quænam dirigibilitas ſit objectum ſub quo?

56. DIco 1. Directio activa non eſt objectum *ſub quo* Dialecticæ. Ita P. Oviedo controv. 2. pun. 1. num. 58. P. Suar. Luſit. & alii. Prob: quia objectum *ſub quo* Logicæ debet diſtingui à Logica; cum ſit illud, in quod ipſa tendit: ſed directio activa non diſtinguitur à Logica: ergo non eſt objectum *ſub quo*: aliter Logica tenderet in ſe ipſam.

57. Dico 2. Directio paſſiva extrinſeca nõ eſt objectum *ſub quo* Dialecticæ. Ita Spinula in Log. d. 2. ſ. 4. n. 41, & alii proxime citati. Prob. 1. quia ea directio eſt denominatio proveniens ab ipſa Logica: ergo illam præſupponit cum ſuo objecto, cum ſine ipſo intelligi nequeat. 2. quia ſcientia non habet pro objecto denominationem ab ipſa provenientem; ſicut neque potentia viſiva denominationem viſi.

58. Dico 3. Directio paſſiva intrinſeca actibus intellectûs eſt objectum *ſub quo* Dialecti-

cæ.

cæ. Ita P. Oviedo ſupra citatus n. 60, & alii proxime citati. Prob: quia objectum *ſub quo* eſt ratio, quæ reddit actus intellectûs capaces, ut attingantur à Logica: ſed directio paſſiva, ſive dirigibilitas id præſtat; ſicut viſibilitas album, ut videatur: ergo.

59. Arg. 1. Objectum formale debet eſſe intrinſecum objecto materiali: ſed directio paſſiva eſt extrinſeca actibus intellectûs; cum hi ſolum denominentur dirigibiles ab actu poſſibili: ergo. Reſp. neg. min. & illius probationem: quia dirigibilitas, cum ſit ratio attingendi objectum, antecedit omnem actum.

60. Explicatur hoc amplius: quia antequã intelligatur primus actus intellectûs dirigens alios, quilibet illorum eſt intrinſece dirigibilis ex intrinſeca natura ſua, & ſua-met entitate; ſicut objectum intelligibile tale eſt ante aliquem actũ intellectûs poſſibilem. Imo ſicut objectum denominatur extrinſece directum ab actu exiſtente de facto; ita denominabitur extrinſece dirigibile ab actu poſſibili.

61. Arg. 2. Dirigibilitas actuum non eſt finis intrinſecus: ergo neque objectum formale *ſub quo* Logicæ. Reſp. neg. conſeq: quia non requiritur, quod hoc objectum ſit finis intrinſecus Logicæ. Imo nec debet eſſe; cum ſit ratio, ſub qua attingitur objectum materiale ad aſſecutionem finis intenti.

62. Arg.

62. Arg. 3. Dirigibilitas passiva intrinseca est objectum *sub quo* Animasticæ; cum hæc agat de actibus, à quibus talis directio non distinguitur: ergo non est objectum Logicæ. Resp. neg. antec: quia Animastica agit de actibus intellectus sub diversa ratione, & non quatenus sunt dirigibiles ad discursum, ut supra exposuimus num. 29.

63. Roboratur solutio: 1. quia, visibilitas objecti est objectum formale *sub quo* potentiæ visivæ, licet sit realiter identificata cum actibus, de quibus tractat Animastica: 2. quia objectum prudentiæ consistit in dirigibilitate passiva intrinseca: 3. quia dirigibilitas ligni ad illas, vel illas statuas efformandas est objectum *sub quo* artis lignariæ: ergo ita similiter erit in Logica.

64. Arg. 4. Operationes intellectus sunt rectæ, vel non rectæ per se ipsas: ergo quoad directionem non dependent à Dialectica, nec sunt illius objectum formale *sub quo*. Resp. neg. conseq: quia si non quoad entitatem, dependent tamen quoad elicientiam: quatenus Logica præcipit, ut eliciantur conceptus recti præ non rectis.

65. Arg. 5. Objectum formale *sub quo* artis practicæ est producibile ab ipsa arte: sed dirigibilitas intrinseca passiva nequit produci à Logica: ergo. Resp. neg. mai: quia objectum *sub quo* antecedit ipsam artem, ac proinde non

potestabilla produci, ni ad plurimum materialiter, quatenus est idem cum actibus directis à Logica.

66. Roboratur solutio: quia producibilitas est objectum formale *sub quo* Omnipotentiæ Divinæ; sed nō producitur ab ipsa Omnipotentia, nisi tantum materialiter, & quoad actualitatem, quatenus est idem cum entitate physica creaturæ, quæ producitur: ergo idem erit in objecto *sub quo* Logicæ; utrobique enim est par ratio.

67. Arg. 6. Objectum formale *sub quo* debet percipi à scientia: sed dirigibilitas non percipitur à Logica: ergo. R. p. neg. min: quia saltem illam percipit ut *quo*, quatenus est ratio, sub qua Logica tendit in objectum. At non cognoscit dirigibilitatē ut *Quod*; cum non debeat supra illam reflectere; quod necessarium erat ad eam cognitionem.

68. Neque per hoc negamus, quod scientiæ possint aliquando cognoscere ut *Quod* tale objectum, & supra illud reflectere: hoc enim innuit Aristoteles, dum ait scientiam ferri in scibile quà scibile. In hoc sensu etiam Logica aliquando tendit in dirigibile quà dirigibile, licet non debeat ita semper tendere in suum objectum.

* * *

QUÆS-

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrũ objectum Quod Logicæ sint actus ut directi?

69. REsp. affirmative cum P. Oviedo controv. 2. pun. 1. & Lync. in Log. lib. 2. c. 3. à num. 14. quibus additur Spinula in Log. d. 2. §. 4. à num. 16. Prob: quia illud est objectum formale *Quod* Logicæ, quod ab illa consideratur, & expetitur: sed ipsa considerat, & expetit operationes intellectûs ut directas: ergo.

70. Maior est certa, minor constat: 1: quia expetit, ut v. g. syllogismus in *Barbara* constet tribus propositionibus universalibus affirmativis: hoc autem competit syllogismo jam directo, & non solum dirigibili: cum enim jam illas habeat, non est solum dirigibilis ad illas habendas. 2. quia Logica respicit opus completum, ac proinde jam directum.

71. Stabilitur ab exemplis: 1. quia fræna factoria habet pro objecto *Quod* fræna, & non ferrum ductile. 2: quia objectum formale artis domificativæ est domus constructa, & non lapides componibiles in domum: ergo ita suo modo erit in Logica. 3. quia definitio solum ut directa explicat essentiam definiti.

72. Arg. 1. pro P. Arr. & aliis. De objecto

formali Logicæ verificantur ipsius præcepta: sed hæc verificantur de actibus intellectus ut dirigibilibus: ergo ii actus ut dirigibiles, & non ut directi, sunt objectum formale *Quod*. Resp. neg. min: 1. juxta dicta num. 70. 2: quia præcipit, ut definitio constet genere; & hoc modo jam est directa.

73. Inst. Dialectica solum considerat operationes in communi, quatenus dictat debere ita, vel ita aptari, ut recte fiant: sed hæ operationes adhuc non sunt factæ: ergo. Resp. neg. mai: quia Dialectica, utpote practica, respicit objectum materiale operabile, quale non est objectum communè; sed singulare; at præscindit ab eo, quod sit in hac, vel illa materia; & hoc est jam directum.

74. Arg. 2. Opus ut directum est finis Logicæ: ergo non est objectum *Quod*. Resp. neg. conseq: quia finis proximus, & objectum *Quod* videntur coincidere; cum finis sit illud, quod per se intenditur à scientia. Sic ab Aristotele assignatur artibus pro objecto formali illorum finis proximus.

75. Arg. 3. Scientia practica respicit factibile, ut factibile: ergo Logica, quæ est practica, debet respicere dirigibile ut dirigibile. Resp. distinguo antec; ita respicit tanquam objectum materiale conc: tanquam objectum formale *Quod*, nego antec., & etiam conseq. in eodem sensu objectiones hactenus factas. Vide dicta num. 67.

76. Arg.

76. Arg. 4. Objectum Logicæ est invariabile; sed operationes intellectûs jam directæ sunt variabiles; cum possint non esse directæ: ergo illæ considerata non sunt illius objectum. *Obiect.* Resp. neg. consequi: quia si operationes non essent directæ, non manerent objectum formale Logicæ; quæ solum eas respicit ut directas, sicut domifactiva respicit domum constructam, licet hæc possit corruere.

QUÆSTIO TERTIA.

An dirigibilitas sit realiter idem cum actibus?

77. Resp. affirmative cum communi sententia. Prob: quia dirigibilitas est capacitas, ut actus intellectûs dirigantur à Logica: sed ipsi per se ipsos sunt capaces talis directionis: ergo. Minor constat: quia sunt ita capaces, præcisa quacumque negatione, aut potentia distincta: ergo dirigibilitas est idem cum actibus: ergo & dirigibilitas.

78. Arg. 1. Rectitudo syllogismi distinguitur à syllogismo: ergo etiam dirigibilitas ab actibus intellectûs. Resp. neg. antec: quia data entitate propositionum, quibus disponitur syllogismus in *Barbara*, secluso quocumque alio, necessario datur rectitudo syllogismi: ergo ignoratur, quod sit realiter idem cum iis propositionibus

tionibus.

79. Inſt. Antequam præmiſſæ talis ſyllogiſmi conjungantur cum concluſione, non habent rectitudinem ſyllogiſticam; imo poſſunt illa nō habere, ſi v.g. inferatur cōcluſio non debita: ergo. R. eſp. neg. conſeq.: quia ſolum ſunt indifferentes, ut ita, vel ita conjungantur tanquam partes; non vero, ut dirigantur in ſe, ut opus artificioſum.

80. Explicatur ſolutio: quia hic actus: *Omnis homo eſt animal rationale*: eſt indifferens, ut cum aliis duabus propoſitionibus univerſalibus cōponat ſyllogiſmū in *Barbara*, non tamen ad rectam directionem propoſitionis univerſalis. Sic materia per ſe habet rationem materiæ; & eſt indifferens, ut conjungatur cum hac forma determinata ad conſtituendum compoſitum.

81. Arg. 2. Poſita hac doctrina, dirigibilitas erit objectum formale *ſub quo* plurium ſcientiarum, cum ſit eadem cum actibus, qui à pluribus cognoſcuntur: ſed hoc non eſt dicendum: ergo, &c. R. eſp. neg. mai. quia licet ſit eadem dirigibilitas materialiter, eſt formaliter diverſa pro diverſo exercitio, & numero ſcientiarum.

82. Arg. 3. Intelligibilitas conſiſtit formaliter in non repugnantia, ut res cognoſcatur: ergo etiam dirigibilitas in non repugnantia, ut dirigatur. Antec. conſtat: quia intelligibilitas eſt proprietas entis, proindeque debet manere extra

extra illius conceptum. Resp. negando antec. & probationem illius: solum enim est attributum metaphysicum.

SECTIO TERTIA.

De Objecto Attributionis Dialectica.

83. ALique hic sunt prænotanda. Objectum Attributionis dicitur illud, quod principalius, & primario intenditur à scientia, & ad quod reducuntur per se omnes cognitiones ipsius scientiæ. Ex hac definitione, & explicatione eruuntur aliquæ conditiones ad objectum Attributionis.

84. Requiritur 1. ut sit unum unitate saltem analogiæ, ut ens respectu Metaphysicæ. 2. ut ad tale objectum ultimo referatur omnia, quæ à scientia tractantur, & ipsum non ordinetur ad aliud. 3. ut per illud, & modum, quo ipsum considerat, scientia distinguatur ab aliis. Hæc tamen conditio etiam competit objecto formali *Quod*, cum quo extenditur.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrũ *Syllogismus perfectus ipse, objectum Attributionis?*

85. RESP. affirmative cum P. Oviedo con-

controv. 2. punct. 1. num. 73. P. Laurent. d. unica Procem. n. 136. P. Suar. Rubi, Spinula, Scoto, & aliis, quibus non dissentit P. Arr. in Log. d. 2. s. 6. à n. 74. Prob: quia in syllogismo perfecto, prout comprehendit Demonstrativū, & Probabilem, sunt conditiones requisitæ, ut sit objectum: ergo.

86. Ostenditur antec: quia est aliquo modo ubique Logicali distingui ab aliis scientiis: deinde omnia, quæ ipsa tractat, nempe termini, definitio, divisio, per se ordinantur ad syllogismum, ut partes ad totum; syllogismus perfectus non ordinatur ad aliud, de quo agat Dialectica: ergo habet conditiones requisitas.

87. Arg. 1. pro P. Ant. Fons. Rub. & aliis. Definitio, & Divisio non ordinantur per se ad syllogismum: ergo non est objectum utriburis; sed sola definitio, divisio, & argumentatio. Resp. neg. antec. quia definitio, & divisio possunt considerari, ut quibus mediantibus intellectus acquirit aliquam conclusionem: ergo, &c.

88. Inst. Necessitas inferendi conclusionem non provenit ex natura definitionis, & divisionis, sed ex vi intellectus, qui, utpote causa necessaria, operatur statim, ac est expeditus: ergo non stat solutio. Resp. neg. conseq. quia intellectus determinatur per præmissas ad conclusionem, & proinde ipsæ ad illam ordinantur per se.

89. Arg.

89. Arg. Syllogismus probabilis ordinatur ad demonstrationem: ergo solus demonstrationis est obiectum materiale. Logica non ipsa non ordinetur ad aliud. Resp. neg. ant.: quia syllogismus probabilis potest ordinari ad demonstrationem materialem, non tamen ad demonstrationem formalem, quia non est species contradistincta demonstrationi.

90. Arg. Intellectus cognitio syllogismi probabilis ordinatur ad cognitionem syllogismi demonstrativi: ergo. Resp. neg. antec.: quia cognitio demonstrativi non ordinatur ad faciendum probabilem: ergo neque è contra, quia in speciebus æque participantibus genus cognitio speciei minus perfectæ non ordinatur ad cognitionem perfectioris: quis enim dicat cognitionem formicæ ordinari ad cognitionem Asinus.

91. Arg. Cognitio unius contrarii ordinatur ad cognitionem alterius: sed syllogismus probabilis est contrarius demonstrativo: ergo. Resp. quidlibet magis facientia ad idem esse contraria, negatur primum de illo, & secundum de alio, concedo tam. 8. & nego sub. quia Logica agit probabiliter de utroque syllogismo, utrumque tamen non ut alterius formæ, sed ut ejusdem.

92. Arg. Syllogismus demonstrativus finis ultimus Logicæ: ergo non solus ipse quæsitus est finis ultimus. Logica recurrit cum obiecto

ergo.

ergo. R. neg. mai. & insinuatam illius probationem: quia Logica adhuc post demonstrationem appetit cognoscere rem per syllogismum probabilem; cum ita sit cognoscibilis.

93. Firmatur ulterius: quia intellectus, habita demonstratione à priori, adhuc appetit demonstrationem à posteriori, etsi non sit tam vehementer: ergo etiam Logica post cognitionem syllogismi demonstrativi adhuc appetet cognitionem syllogismi probabilis; licet minus vehementer.

94. Inst. Demonstratio non est adæquatum objectum attributi: ergo est attributionis. R. neg. conseq. quia ipsa simul cum syllogismo probabili efficit unum objectum adæquatum attributi, & consequenter attributionis; cum ad utrumque syllogismum referantur omnia, de quibus tractat Logica, & ipse non ordinentur ad aliud.

95. Urg. Logica à syllogismo perfecto tendit in demonstrationem, inquirendo quis syllogismus efficiat scire, & qui opinionem generet: ergo sola demonstratio est objectum attributionis. R. neg. antec. quia ad Logicam solum spectat cognoscere, quis syllogismus efficiat scire ratione formæ, & non attendit ad materiam: syllogismus vero probabilis æque perfectus est ratione formæ, ac demonstrativus; proindeque ibi quiescit Logica.

96. Repl.

96. Repl. sola demonstratio propriè facit scire; cum ea sola procedat per causas: ergo non stat solutio. Resp. neg. ante. quia etiam syllogismus probabilis facit scire secundum formam, siquidem est modus sciendi ratione formæ, & procedit per veras causas Logicas. At Logica solum attendit directe ad formam, non ad materiam.

97. Arg. 4. Objectum attributionis est prius Dialectica: sed syllogismus, cum fiat ab ipsa Dialectica, est posterior: ergo. Resp. hoc objectum esse prius in genere causæ specificantis, & quoad essentiam; quia antequam dirigetur, jam potest dirigi; quod satis est, ut specificet. At est posterius in genere causæ effectivæ, & quoad existentiam; quia fit saltè directive ab ipsa Logica.

98. Arg. 5. Syllogismus sophisticus, & pseudographus non sunt objectum attributionis Dialecticæ: & tamen sunt vere syllogismi: ergo non omnis syllogismus est objectum attributionis Dialecticæ. Resp. neg. mai. si in ipsis forma syllogistica sit vere disposita, & consequens inferatur ex præmissis: quia tunc Dialectica in ea forma ostendit sua præcepta.

99. Arg. 6. Non omnia, de quibus agit Logica, ordinantur ad syllogismum; ut patet in enthymemate, & elencho, de quibus ipsa tamen agit: ergo syllogismus non est objectum attributi-

bationis. Resp. neg. antec. & illius probationē: cum enim sint syllogismi imperfecti, potest illorum cognitio ordinari ad cognitionem perfecti syllogismi, sicut cognitio entis fieri ad notitiam entis veri. ergo.

Arg. 3. Syllogismus perfectus est pars demonstrationis: sed cognitio partis ordinatur ad cognitionem totius: ergo cognitio syllogismi imperfecti ordinatur ad demonstrationem, & proinde non est obiectum attributionis. Major constat: quia syllogismus perfectus est genus ad demonstrationem, & genus est pars respectu speciei, ut patet in animali respectu hominis.

Resp. neg. maiorem & probationem: quia obiectum dialectici non debet sumi abstracte, & generice; sed contracte ad species, sive omnes syllogismi perfecti, ut dicatur pars, & proinde neq; ipsorum cognitio ordinatur ad illud tanquam species, nec unus ad alterum. Ratio est: quia obiectum scientiæ practicæ debet esse exercitabile, quale non est bonum commune, ut dictum fuit.

Denique contra: cum syllogismus communi non minus sit genus respectu demonstrativi, quam probabilis: ergo erit pars utriusque; sicut animal est pars hominis & equi: ergo ordinabitur ad utrumque: cum quilibet sit finis; sed hoc probatum non fuit. Maior vero, cui-

nus,

alis; & non alius sit objectum; ergo est uterque.

QUÆSTIO SECUNDA.

Refutantur aliæ sententiæ oppositæ.

103. PRima sententia asserit modum differendi, prout complectitur Definitionē, Divisionē, & Argumentationem, esse objectum attributionis. Ita P. P. C. C. P. Pons. & alii: sed non placent: quia definitio, & divisio sunt partes syllogismi; sicut termini sunt partes propositionis: ergo sicut termini ordinantur ad propositionem, ita definitio, & divisio ad syllogismum: ergo non sunt objectum.

104. Neque dicant adhuc dari posse definitionem, quæ explicet essentiam rei, licet per impossibile non esset syllogismus; proindeque ad illum non ordinari definitionem. Contra enim est: si per impossibile non esset propositio, non darentur termini, aliter hi non essent ordinati ad propositionem: ergo idem erit in casu proposito.

105. Secunda sententia tenet cum P. Compton. definitionem esse objectum attributionis; sed facile refutatur ex proxime dictis. Tertia cum P. Lync. lib. 2. tract. 2. c. 1. num. 1. docet veritatem actuum intellectûs esse objectum attributionis Logicæ; sed displicet 1. quia inqui-

quirere veritatem est commune aliis scientiis, & non quid speciale in Logica.

106. Displicet 2: quia ipsa veritas, cum sit proprietas modi sciendi, refertur ad cognitionẽ modi sciendi, ut cognitio proprietatis ad cognitionem essentiæ: ergo non est objectum attributionis. 3: quia munus proprium Logicæ est tradere instrumenta ad comparandum veritates contentas in aliis scientiis: illa autem instrumenta debent distingui à veritate.

107. Quarta sententia, quam tenet Aversa apud P. Compton. supra citatum, constituit objectum attributionis Dialecticæ in sola conclusione formali recte illata ex præmissis. Rejicitur tamen 1: quia conclusio ultimo ordinatur ad syllogismum perfectum, ut pars ad totum; sicut forma hominis ordinatur ad componendum hominem in genere physico: ergo non est objectum attributionis.

108. Rejicitur 2: quia objectum artis Dialecticæ debet esse aliquid artificiosum: hoc autem non habet sola conclusio; cum, positis præmissis, sequatur veluti naturaliter. 3: quia objectum attributionis est illud, quod primario intenditur: hoc autem primario intentum Logicæ est syllogismus perfectus, & non conclusio.

APPENDIX

Pro subjecto inhæsionis Dialectices.

109. QUæres 1. an in Deo detur Logica dirigens actus intellectûs Divini in ordine ad discursus virtuales ipsius Dei? Affirmat P. Suar. Lusit. in Logica tract. 1. d. 2. num. 162. cum Mag. Suar. Mol. Granado, & aliis. Prob: quia Deus optime scit omnes modos concludendi, & actu illos exercet: sed hi sunt ipsa Logica: ergo.

110. Pro solvendis objectionibus scies 1. posse dari in Deo progressum à notis ad ignota: hoc enim idem est, atque dicere: per actum conclusionis attingitur formaliter objectum, quod solum virtualiter erat cognitum in præmissis virtualibus. Scies 2. in discursu divino non dari dependentiam, sed connexionem conclusionis cum præmissis: sola enim dependentia sonat imperfectionem.

111. Scies 2. virtualitatem cognitionis divinæ attingentem objectum conclusionis posse dici minus evidentem quoad nos, quatenus est cognitio magis mediata respectu sui objecti. Scies 3. Deum pro illo priori, in quo solum cognoscit præmissas, non habere ignorantiam conclusionis; cum hæc non sit cognoscibilis pro eo priori;

priori; quod necessarium erat, ut daretur ignorantia.

112. Quæres 2. an in Angelis detur Logica dirigens actus intellectus Angelici in ordine ad discursus formales, & virtuales? Affirmat P. Suar. Lum. supra cit. num. 157. cum Mag. Suar. Mol. Vasq. & alijs. Prob: quia Angeli juxta regulas Logicæ conficiunt syllogismos per discursum formalem circa inevidentia, & per virtualem circa evidentia: ergo.

113. Neque solum per ordinem ad discursum, sed etiam per ordinem ad judicium datur Logica in Angelis; siquidem judicant definiendo, & dividendo. Imo etiam in ipsis datur Logica dirigens apprehensionem circa objecta confusa: quia lumen Angelicum circa talia objecta non excedit humanum: ergo sicut in nobis datur ea Logica, ita erit in Angelis.

114. Quod in intellectu humano detur Logica dirigens illius actus naturales, experimento constat: quoad actus supernaturales probat P. Ripalda: quia intellectus naturalis, & species naturales possunt concurrere ad actus supernaturales: ergo etiam Logica naturalis; cum ubique sit eadem ratio.

* * *

PARS

PARS SECUNDA

De materia ſyllogiſmi.

MAteria ſyllogiſmi abſoluti eſt duplex: una dicitur remota, proxima altera. Remota ſunt termini, quibus conſtant propoſitiones: proxima ſunt ipſæ propoſitiones, ex quibus proxime ſyllogiſmus extruitur. Quare de utriuſque natura, & proprietatibus nobis diſſerendum erit decurſu ſecundæ partis.

DISPUTATIO PRIMA

Pro materia remota ſyllogiſmi.

TErmini, qui ſunt materia remota ſyllogiſmi, ita nuncupantur, quia in ipſos terminatur, & finitur remote reſolutio ſyllogiſmi, & proxime propoſitionis. Huc ſpectant diviſiones illæ terminorum, quas initio tractationis Dialecticæ interſerunt juniores Summuliſtæ: illas dabimus ſuis in locis, ut magis in aperto ſit tradenda doctrina.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA

De natura, & Divisione Termini.

QUÆSTIO PRIMA.

Quomodo definiatur Terminus?

1. DEfinitur Terminus: *Pars, in quã resolvitur propositio, ut in prædicatum, & subjectum.* Ita Arist. 1. Prior. c. 1. quę sequuntur P.P. C.C. c. 1. de Propos. q. 1. art. 3. P. Fons. 6. Instit. Dialect. c. 9. P. Oviedo, & alii. Approbatur definitio: quia constat genere, & differentia, & recte explicat essentiam definiti: ergo est bona.

2. Expenditur amplius: particula *pars* indicat convenientiam generică termini cum partibus orationis Grămaticæ, & corporis naturalis. Reliquæ ponuntur loco differentiæ: & præter partes, quæ non sunt terminus Dialecticus, excludunt etiam syncategoremata; neque enim sunt prædicatum, aut subjectum, sed solum illa modificant.

3. Pro meliori intelligentia nota 1. tunc resolvi propositionem, quando mentaliter dividitur in eas partes, ex quibus componitur. Nota 2. tunc

tunc finiri resolutionem, cum divisio pervenit ad partes, à quibus incipit compositio propositionis. Nota 1. id, de quo aliquid prædicatur, esse propositionis subjectum; & id prædicatum, quod de alio dicitur per affirmationem, aut negationem.

4. Arg. 1. pro P. Isquierdo. Arriaga, & aliis. Ea definitio non constat differentia essentialis solum enim ibi fit mentio de rationibus prædicati, & subjecti, quæ non sunt differentiæ constituentes, sed contrahentes terminum Dialecticum: ergo nō est bona. Resp. neg. ant: quia differentia essentialis solum defectu vocabuli explicatur per rationes appositas, & ipsæ non sunt differentiæ termini definiti.

5. Arg. 2. Tradita definitio non est clarior definito: si quidem fit per quid obscurius, nempe propositionem, prædicatum, & subjectum: sed hoc necessarium erat: ergo, &c. Resp. neg. mai: quia licet tradatur per quid obscurius, hoc juvat, ut terminus melius cognoscatur. Sic relatio creaturæ manet clarius cognita per ordinē ad Deum, qui est in se cognitu difficilior.

6. Arg. 3. Definitio termini ita melius aptatur: *Pars per se objective constitutiva orationis Dialecticæ*: explicat enim conceptum primarium termini: ergo hæc solū probanda est. Resp. neg. antec: quia Aristoteles hic vult instruere Philosophos circa essentiam syllogismi, & illa melius

dignoscitur liujus resolutione. Neque in termino prius est constituere propositionem, quam posse terminare illius resolutionem.

§. Hæc resolutio syllogismi est mentalis, dum quis examinat, quibus propositionibus constare debeat syllogismus, & ideo adjuvatur ad illum construendum. Neque resolutio, de qua loquitur Aristoteles, est posterior constitutione syllogismi: agit enim de resolutione mentali, quæ versatur circa syllogismum construendum, seu qui potest fabricari.

7. Inst. Materia prima nō bene definiretur: *Id, in quod resolvitur compositum*: ergo neque terminus, &c. Resp. dist. antec: in ratione principii, concedo: in ratione termini, nego antec. & quia in hac ratione definitur terminus Dialecticus, ideo nego consequentiā. Hinc est, quod integra propositio simplex, & etiam syllogismus, possit esse terminus, si sit subjectum propositionis complexæ.

8. Neque propositioni simplici repugnat esse partem respectu propositionis complexæ, quam potest constituere; licet sit totum respectu suarum partium. Totum patet in hac propositione: *Petrus legit, est vera propositio*: ubi 1. propositio est subjectum, quatenus de illa affirmatur prædicatum *vera propositio*. Si in illam ultimo non resolvitur, non obstat: quia id non requiritur ab Aristotele.

9. Arg.

9. Arg. 4. Potentialis resolutio supponit in termino compositionem potentialem: ergo non bene definitur per quid secundarium. Patet antec: quia quando actus unius potentiæ est prior actu alterius, potentia ad actum priorem est prior, quam potentia ad actum posteriorem: sed actualis resolutio est posterior actuali compositione: ergo, &c.

10. Resp. neg. antec., & illius probationē: siquidem judicium est actus posterior apprehēsione; & tamen potentia ad judicandum non est posterior potentia ad apprehendendum: utraquā enim æqualiter constituit rationale. Neque dicas id ita esse; quia potentia judicativa superaddit novam perfectionem: totum enim est prius sui divisione, quæ non addit novam perfectionem.

11. Roboratur solutio: quia licet actu amare objectum sit quid realiter diversum, atque illud odio habere; attamen potentia ad unum actum est simul potentia ad alium in voluntate libera: ergo etiam quanvis unus actus sit prior alio, poterit non admitti ea prioritas in potentiis.

12. Arg. 5. Terminus melius definitur: *Extremum propositionis*: ergo, &c. Resp. neg. antec. 1: quia ea definitio non est clarior definito: idem enim sonat terminus propositionis, ac extremum propositionis, licet verbis differant, sicut gladius, & ensis. 2. quia minor propositio

in syllogismo habet in se rationem termini, quin tamen ipsa sit extremum syllogismi in sensu argumenti.

QUÆSTIO SECUNDA.

An terminus sit necessario significativus?

13. IN hoc puncto dissentiunt A. A. Negat P. Suar. Lusit. in Log. tract. 7. n. 5. cum P. Arr. P. Oviedo. Affirmat P. Fons. lib. 1. Instit. Dial. c. 17. Utrisque aliquid dabimus. Terminus vel est materialis, & improprius, vel proprius, & formalis: primus dicitur res, quæ significatur: secundus est vox, qua res significatur. His positis,

14. Dico 1. Terminus materialis non est significativus. Prob: quia in hac propositione: *Blictri non est syndapsus: Blictri, & syndapsus* sunt termini materiales, cum significentur per nomen *vox*, quæ subintelligitur: nam facit hunc sensum: *Vox Blictri non est vox syndapsus*: sed non sunt significativi, ut patet: ergo, &c.

15. Dico 2. Terminus formalis necessario debet esse significativus. Prob. 1. Significatio propositionis conflatur ex significationibus suarum partium: sed termini formales sunt partes propositionis: ergo. 2. quia per terminos formales intendimus aliquid significare juxta homi-

minum placitum: aliter propositio non esset significativa: ergo. 3: quia in hoc distinguitur terminus formalis à materiali.

16. Arg. 1. In hac propositione: *Blictri est vox*: datur vera ratio subjecti, quin ibi subintelligatur terminus significativus: ergo terminus formalis non est significativus. Resp. neg. antec: subintelligitur enim dictio *vox*, ut supra diximus n. 14. Firmatur: quia propositio significat aliquid à se diversum: ergo ita erit de modo ordinario terminus formalis.

17. Inst. *Blictri* in ea propositione est formaliter subjectum: ergo etiam terminus formalis: ergo hic non est necessario significativus. Ostenditur antec: quia formaliter subjicitur; cum de illo formaliter prædicetur esse vocem. Resp. neg. antec., & illius probationem: quod enim subjicitur formaliter, est terminus *vox*, per quem *Blictri* significatur.

18. Arg. 2: Subjectum hujus propositionis: *Homo est vox*: est verus terminus formalis; & tamen non est significativus sui ipsius: cum ad id significandum non imponatur: ergo. Resp. neg. mai. ob dicta in minori. Unde etiam ibi subintelligitur dictio *vox*; aliter dicendum, si *homo* deputetur ad significandum se ipsum.

19. Arg. 3. Hæc propositio: *Blictri non est terminus*: est vera propositio: sed vera propositio habet veros terminos: ergo *Blictri* est verus, &

proprius terminus. Resp. neg. consl: quia ibi verus terminus est *vox*, aut *sonus*, qui subauditur. In hac propositione solum negatur de *Blictri*, quod sit terminus formalis; non vero materialis.

20. Inst, pro P. Penafiel: Ea propositio est vera: ergo non subintelligitur dictio *vox*: aliter esset falsa; cum falsum sit, quod dictio significativa non sit terminus. Resp. neg. conseq. & insinuatam probationem: quia ratio termini formalis non negatur de dictione *vox*; sed solum de voce materiali *Blictri*. Idem est in hac: *Vox Blictri non est significativa.*

21. Arg. 4. Aristoteles utitur in syllogismo terminis non significativis, v.g. *omne B est A: omne C est B: ergo omne C est A*: ergo non stat conclusio. Resp. Philosophum solum uti terminis non significativis, tanquam terminis materialibus; non vero formalibus: siquidem non illis utitur, ut partibus orationis vocalis; sed ut terminis significatis per terminos formales, qui subintelliguntur.

22. Arg. 5. Terminus non constituitur formaliter per esse significativum, sed per id, in quod resolvitur propositio: sed hoc habet dictio *Blictri* non significativa: ergo, &c. Resp. neg. mai: quia unum devolvit aliud; propositio enim solum resolvitur formaliter in suas partes, qualis non est dictio non significativa, ut bene notat P. Fonf. supra citatus.

QUÆS-

QUÆSTIO TERTIA.

An verbum est *in propositione sit terminus?*

23. RESOLVO 1. Verbum *est* in ratione nexûs non est terminus. Ita P.P. C.C. supra citati, P. Suar. Lusit. & alii. Prob: quia terminus est ille, qui manet post resolutionem propositionis: sed copula verbalis non manet, destructa propositione; unio enim perit, separatis extremis: ergo non est terminus. Ex hoc capite unio non est terminus in composito physico.

24. Arg. 1. Forma materialis est terminus compositi physici: ergo ita erit forma compositi artificialis, qualis est copula verbalis in propositione. Resp. neg. conseq., diversitas est: prima forma terminat resolutionem; quia solum per accidens perit, destructo composito; hoc autem non militat in copula verbali; hæc enim per se primo perit.

25. Fulcitur hæc doctrina: quia destructio per se primo tendit in unionem: solum autem copula verbalis, & non forma physica est formaliter unio totius. Quòd non tendat primario in formam, patet in anima rationali, quæ perseverat. Unde forma materialis perit secundario ob dependentiam à materia, sine qua nequit conserva-

ſervari.

26. Inſt. Nexus verbalis manet quoad eſſentiam, reſoluta propoſitione, licet non quoad exiſtentiam: ſed hoc ſufficit ad rationem termini: ergo, &c. Reſp. neg. min: quia debet manere ut prædicatum, vel ſubjectum; id enim eruitur ex definitione termini: quodlibet autem ex his manet quoad exiſtentiam: ergo ita debet manere nexus verbalis.

27. Arg. 1. Prædicatum, & ſubjectum nō manent talia in actu exercito, reſoluta propoſitione: & tamen ſunt termini: ergo idem dicendum de nexu verbali. Maior conſtat: quia jam non datur ſubjici, & prædicari. Reſp. neg. conſ; quia nexus verbalis non retinet ſignificationem, ſub qua componebat propoſitionem: aliter ſe res habet in prædicato.

28. Explicatur: prædicatum, & ſubjectū ſunt termini; quia retinent ſua ſignificata, ſecundum quæ componebant propoſitionem; licet in actu exercito non ſint prædicatum, neque ſubjectum ob rationem datam. At verbum *eſt* ponitur in propoſitione ſub ratione copulæ; & cum hoc non ſervet, reſoluta propoſitione, ea de cauſa non dicitur terminus.

29. Arg. 3. Medius terminus in ſyllogiſmo eſt unio maioris, & minoris extremi: & tamen eſt vere terminus: ergo ita erit copula verbalis. Reſp. neg. mai: ſolum enim ita appellatur, quia

quia est ratio inferendi identitatem, vel distinctionem extremorum inter se. Sic in syllogismo negativo medius terminus separat, & non unit extrema.

30. Arg. 4. Unio physica est terminus generationis: ergo etiam unio logica erit terminus propositionis. Resp. neg. conf. disparitas est: quia unio physica producitur immediate per actionem generativam: hoc autem est esse terminum generationis. Unio autem logica non est terminus; quia in illam non resolvitur propositio.

31. Arg. 5. Unio verbalis terminat inclinationem partium propositionis; hæ enim inclinant ad unionem logicam: ergo est terminus. Resp. neg. conf: quia ad rationem termini requiritur, quod terminet resolutionem propositionis: cum verò hoc desit nexui verbali, sive unioni logicæ, non est terminus: quidquid sit de aliis acceptionibus termini.

32. Srabilitur: quia unio verbalis non manet actu etiam secundum se extra propositionem conceptus enim copulæ nequit reperiri, nisi cum actuali copulæ exercicio annectens extrema, & constituens propositionem: sed hoc necessarium erat ad rationem termini: ergo licet terminet inclinationem partium, non est terminus logicus.

SECUN-

SECUNDUS SENSUS.

33. REsolvo 2. Verbum *est* in ratione verbi est terminus. Ita sentiunt P.P. C.C. P. Oviedo, quos citat, & sequitur P. Suar. Lusit. supra citatus n. 9. Prob: quia verbum *est* in propositione etiam habet rationē prædicati: habet enim significatum formale, quod non est ratio copulæ: sed ratio prædicati est terminus propositionis: ergo verbum *est* est terminus.

34. Arg. 1. Verbum *est* in propositione de *tertio adjacente* est solum copula; nam per hoc distinguitur ea propositio à propositione de *secundo adjacente*: ergo non est terminus. Resp. neg. antec. & illius probationem: distinguitur enim per id, quod ipsa extra copulam exprimat prædicatum, ut *Petrus est albus*: alia vero inclusum in copula, ut *Petrus est*.

35. Arg. 2. Propositio non constat tribus terminis: sed id sequitur ex nostra doctrina in hac propositione: *Petrus est albus*, ubi admittitur unum subjectum, & duplex prædicatum, ut patet: ergo, &c. Resp. neg. min: quia prædicatum *ens* inclusum in verbo *est*, & *album* sunt duo prædicata partialia, & efficiunt unum totale, & consequenter unum terminum.

36. Arg. 3. Terminus manet, resoluta propo-

sit-

positione: sed non ita se habet verbum *est*: ergo non est terminus. Resp. neg. min: quia manet in ratione prædicati, licet non in ratione copulæ. Sic in hac propositione Christi Dom. Joan. 10: *Ego, & Pater unum sumus*: verbum *est*, ut sentit D. Aug., significat substantiam Divinam; proindeque aliquid manens, resoluta propositione.

37. Arg. 4. Inter subjectum, & prædicatum ponitur medium propositionis: sed hoc nõ ponitur inter verbum *est*, & subjectum in propositionibus de *tertio adjacente*: ergo verbum *est* non est prædicatum, ac proinde neque terminus. Resp. negomin: quia inter significatum formale verbi, & subjectum mediat verbum *est* sub ratione nexus.

38. Roboratur: quia totum hoc verum habet in propositionibus de *secundo adjacente*, ut fatentur ipsi contrarii: ergo ita erit in propositionibus de *tertio adjacente*; cum non appareat specialis difficultas, etiam in propositionibus necessariis. Sic verbum *est* sub ratione prædicati est constitutivum *Quod* propositionis, & constitutivum *Quo* sub ratione copulæ.

39. Arg. 5. verbum *est* in hac propositione: *Rationale formaliter est differentia*: non habet rationem prædicati, sed solius copulæ: ergo neque termini. Resp. neg. antec: quia verbum *est* in quacumque propositione habet significatum formale diversum a tempore; cum solum hoc

signi-

significet de connotato: hoc autem significatū non est ratio copulæ, sed prædicati.

40. Inst. Ens non transcendit formaliter differentias: ergo verbū *est* non gerit vices prædicati. Resp. distinguo: antec: non transcendit ex parte actūs, concedo: ex parte objecti, nego antec. & conseq: quia relata propositio facit hunc sensum: *Rationale est ens expressum per ordinem ad connotatum differentiæ*: igitur semper ibi affirmatur *ens* imbibitum objective in copula *est*, esto non sit sub expressione entis.

41. Arg. 6. Syncategoremata *si*, & *vel* in propositione non gerunt vices prædicati: ergo neque verbum *est*. Resp. neg. conseq. quia verbū *est* habet significatum formale, quod non est ratio copulæ: ergo est ratio prædicati. At non datur fundamentum ad asserendum syncategoremata habere in propositionibus complexis aliud munus, nisi puræ unionis.

QUÆSITUM INCIDENS.

42. AN dentur termini reales in propositione mentali? Negandum: quia propositio mentalis est indivisibilis, & simplex qualitas: ergo non habet partes, in quas ut veros terminos resolvi possit. Unde doctrinam hactenus traditam intellige cum Philosopho de resolutione propositionis vocalis.

QUÆS.

QUÆSTIO QUARTA.

Quotuplex sit terminus Dialecticus?

43. MUltifariam dividitur terminus: 1. in mentalem, vocalem, & ſcriptum: horum primus eſt terminus propoſitionis mentalis, ſecundus vocalis, tertius ſcriptæ. Terminus mentalis ſolum ita dicitur per æquipollentiam, quatenus propoſitio mentalis virtute continet illud, quod propoſitio vocalis in ſe continet realiter.

44. Terminus mentalis alter eſt conceptus *ultimus*, ſive *ultimatus*, alter *non ultimatus*, ſive *medius*. *Ultimatus* eſt cognitio attingens vocem, & rem ſignificatã. *Non ultimatus* eſt cognitio ſolius vocis ſignificativæ, & non rei ſignificatæ. Dixi *ſignificativæ*: quia cognitio attingens vocem non ſignificativam erit conceptus ultimus.

45. Idem terminus mentalis ſubdividitur in *Directum*, & *Reflexum*. *Directus* eſt, qui terminatur ad rem diſtinctam ab actu ejuſdem potentiæ, ut eſt v. g. cognitio Petri. *Reflexus* eſt cognitio actûs ejuſdem potentiæ, v. g. cognitio, qua cognoſco me cognoſcere Petrum, ſive hoc fiat per eundem actum, ſive per diverſum.

46. Dividitur 2. terminus (intelligo de ſcripto, & vocali) in *Categorematicum*, & *Syncategore-*

tegorematicum: Hæc nomina derivantur à verbo græco *categoreo*, hoc est, *significo*. Prior est, qui se solo aliquid determinate significat, & potest de aliquo dici, v.g. *homo*. Posterior è contra, ut *omnis, nullus, quidam*, &c: item omnia adjectiva, & adverbia.

47. Dividitur 3. in *communem*, & *singularem*. Primus dicitur ille, qui significat rem prædicabilem divisim de pluribus actu, vel potentia existentibus, sed ptopositione vera. Hinc est, quod hæc nomina *Sol, Luna*, & *Phœnix* sint termini cõmunes. Secundus est, qui significat rem non cõmunicabilẽ divisim, nec divisibilem in plura, ut est v.g. nomen *Deus*.

48. Terminus singularis vel est *determinatus*, vel *vagus*. *Determinatus* dicitur, qui significat unam rem tantum, vel absolute, ut *Adam*, vel medio pronomine demonstrativo, ut *Hic homo*. Terminus *vagus* est ille, qui significat unã rem tantum, sed incerte, & indeterminate, ut *Quidam homo*, vel *Aliquis miles*.

49. Terminus communis unus est *divisivus, collectivus* alter. Prior plura significat, sed non prædicatur de singulis seorsim, v.g. terminus *Civitas*, qui significat plures cives, sed de nullo seorsim prædicatur. *Divisivus* est, qui plura significat, ita ut de singulis dici possit. Totum patet in termino *Homo*, qui prædicatur de Petro, & Paulo.

NOTA.

NOTABILIA.

Pro Superiori Doctrina.

50. NOta 1. nomen adjectivum *categorematicus* esse terminum categorematicum non in re, sed solum in significatione; quatenus illum significat. Sic nomen *substantivus* solum in significatione est substantivus, sed in re adjectivus. Nota 2. in hac propositione: *Petrus est albus*: *albus* non esse per se prædicatum; subintelligitur enim substantivum aliquod, v.g. *subjectum*.

51. Nota 3. nomen *velocitas* esse terminum categorematicum; non ita vero adverbium *velociter*: quia primum potest per se de aliquo dici; non ita secundum. Nam licet utrumque significet idem ex parte rei significatæ, non significat idem ex parte modi significandi: *velocitas* enim significat velocitatem secundum se; & *velociter* velocitatem, ut adjacentem subjecto.

52. Nota 4. terminum *Omnis homo* non esse cōmunem, ut bene advertit P. Arr. in summulis d. 1. n. 15: quia dici nequit de quolibet. Idem est in hoc termino *Hic homo*, si particula *Hic* determinat vocem *Homo* ad certam differentiam individuantem. Si terminus *Omnihet homo* idem sit, atque *Omnis homo*, etiam non erit ter-

minus cõmunis.

53. Nota 5. cum P. Hurt. in Sũm. d. 1. n. 27. terminum *Petrus, vel Paulus* esse communem: quia de utrolibet vere dici potest. Non ita est in termino *Petrus, & Paulus*: & ideo non est terminus cõmunis. Neque enim ad terminum cõmunem requiritur, quòd sit univocus; sufficit enim rem esse de pluribus prædicabilem.

54. Nota 6. nomen collectivum posse esse divisivum, si comparetur respectu diversorum; quia *Civitas* ad cives est collectivum; cum de nullo prædicetur. Si vero comparetur ad singulas civitates, est terminus divisivus: quia de singulis prædicatur. Sic ex eadem ratione *Homo* est divisivus ad homines, & collectivus ad partes singulorum.

55. Nota 7. Omnem terminum cõmunem esse superiorem, v.g. *Homo, Animal*, quatenus sub se continet inferiora. Inferior est, qui sub alio cõtinetur, ut *Petrus, Paulus*, &c. scies tamen terminum inferiorem non recurrere cum singulari: quia non omnis terminus inferior est singularis; *Homo* enim est inferior respectu *Animalis*, sed non singularis.

ALIÆ DIVISIONES TERMINI.

56. TErminus dividitur 4. in *Transcendentẽ, & non transcendentem*. Primus

Primus est ille, qui in omnibus, & singulis rebus invenitur, sub quo numerantur sex significati per literas hujus vocis *REVBAV*, scilicet *Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Unum.* Secundus ille est, qui solum dicitur de rebus certis, ut *Lapis, Lignum,* & *Animal.*

57. Dividitur 5. Terminus in *Univocum,* & *Æquivocũ?* Hic significat plura ut plura, v.g. *Canis,* si extendatur ad cælestem, terrestrem, & marinum. Ille plura absolute significat, sed sub una ratione, v.g. *Homo* plures homines sub conceptu naturæ humanæ. Unde univoca conveniunt in re significata; non ita æquivoca, ut visitur in exemplis.

58. Terminus æquivocus duplex est, alter dicitur à *Casu,* v.g. *Gallus,* qui fortuito significat hominem Francum, & Gallum avem. Alius dicitur à *Consilio*, qui consulto imponitur ad significandum plura diversa in natura, v.g. *Homo* respectu hominis veri, & picti; uterque enim participat formam hominis; sed unus verâ, alius adumbratam.

59. Inter univocum, & æquivocum mediat terminus *Analogus,* qui significat unam rationem cõmunem multis, ita ut uni conveniat proprie, & intrinsece; alteri vero improprie, & extrinsece, & per quandam similitudinem. Sit exemplo *Sanum*: sanitas enim respicit intrinsece animal ut subjectum; & extrinsece pulsum, & cibum

cibum. Quare ratio significata est partim eadem & partim diversa in inferioribus.

60. Rursus subdividitur 6. terminus in *Concretum, & Abstractum.* Primus est, qui compositum habet significandi modum, v.g. *Candidum*: nam significat compositionem ex subjecto, & forma, vel quasi forma. Secundus est, qui habet modum significandi simplicem, ut *Candor*, qui solum candorem significat quasi per se existentem extra subjectum. Unde concreta appellantur quasi composita; abstracta quasi à compositione libera.

61. His assimilantur termini *Connotativum*, & *Absolutum.* Prior est ille, qui significat aliquid adjacens, ut adjacens alicui: sic *Candidum* significat candorem, ut adjacentem v.g. Cygno. Posterior est, qui significat aliquid, non ut adjacens alicui, ut *Petrus*, *Homo.* Idem dic de termino *Candor*, qui significat formam adjacentē, sed non per modum adjacentis, ut bene notat P. Fons. 1. Instit. c. 24.

62. Illud hoc loci observandum est terminum vel esse *Denominativum*, vel *Denominantem.* Primus dicitur, qui voce, & significatione à priori aliquo vocabulo deducitur, v.g. *justus* à justitia. Secundus ille est, à quo denominativum voce, ac significatione deducitur, v.g. *Candidatum* à *Candido*, & ab *Igne Ignitum.* Hinc tamen

63. Deducitur eundem terminum posse esse

esse denominativum, & denominantem: nam *Candidum* cum *Candoris* vocabulo comparatum denominativum est; cum nomine *Candidatum* denominans. Nomina denominativa non prædicantur denominative de omnibus, de quibus dicuntur, v.g. *Coloratum* de *albo*, ut ait P. Fons. sup. cit. c. 25.

64. Insuper dividitur terminus 7. in *Finitum*, & *Infinitum*. Finitus est, qui significat rem certam, & determinatam, ut *Homo*. Infinitus est, qui licet plura significet, non determinat, quam rem significat. Sic *Nonhomo* significat omnia, quæ non habent rationem hominis; sed non determinat, quænam res illa sit; an sit lapis, aut lignum.

65. Scies obiter prædicata transcendentia non infinitari, sed semper sumi negative, si illis præfigatur negatio, v.g. *non ens*, *non res* aut *non bonum*: quia nullum est subjectum, in quo eæ rationes transcendentes non invenianter: terminus autem tunc infinitatur, quando significat aliquid positivum, licet non determinate.

66. Patet hoc ab exemplo in hac propositione: *Nonhomo currit*: valet enim idem, ac dicere: *Aliquid, quod est nonhomo, currit*. Ex quo fit negationem dupliciter sumi posse: 1. negative, quando scilicet removet prædicatum à subjecto, ut *Petrus non est Lapis*. 2. infinitanter, quando solum afficit prædicatum, aut subjectum, &

nil removet.

67. Subdividitur terminus 8. in *Physicum*, sive *primæ intentionis*, & *Intentionalem*, sive *secundæ intentionis*. Prior significat rem secundùm id, quod habet independenter ab intellectu, v. g. *Lapis*, aut *Lignum*. Posterior significat rem secundum id, quod accipit ab intellectu, ut *Genus* aut *species*.

68. Subdividitur 9. in *Rectum*, & *Obliquũ*. Primus est, qui significat rem secundũ id, quod dicit in nominativo. Secundus, qui significat rem secundum id, quod dicit in alio casu, v. g. *Album*, id est, *Habens albedinem*. Tandem terminus vel est *Specificativus*, qui significat rem sine addito, ut *Album*; vel *Reduplicativus*, qui significat cum addito, ut *Album quà album*.

SINGULARIA

Pro Terminis in plurali.

69. HActenus explicuimus, quæ sit in se natura terminorum, nunc ad eos descendamus, si plures sint, & invicem comparentur. Termini dividuntur in *Pertinentes*, & *Impertinentes*. Primi sunt, quorum unus infert alium, v. g. *Homo*, *Risibile*; valet enim consequentia: *Est homo: ergo est risibilis*. Secundi dicuntur illi, qui non se inferunt, v. g. *Album*, & *dulce*:

dulce: non valet enim: *est album: ergo est dulce.*

70. Termini *Pertinentes* alii sunt pertinentes *sequella*, alii pertinentes *repugnantia*. Primi generis sunt *Homo*, & *Risibile*; ab uno enim fit argumentum ad alium in hunc modum: *est homo: ergo est risibile.* Secundi generis sunt, quorum unus infert repugnantiam alterius, ut *homo*, & *leo*: nam bene sequitur: *est homo: ergo non est leo.*

71. Termini pertinentes *sequella* aut sunt *convertibiles*, aut *non convertibiles*. Priores sunt, qui mutuo inferuntur, unus ex alio, v.g. *Homo*, & *Risibile*; valet enim dicere: *est risibile: ergo est homo*; & è contra. Posteriores sunt, quorum unus infert alium, sed non infertur ex illo, v.g. *Homo*, & *Animal*: nam licet valeat: *est homo: ergo est animal*; non tamen sequitur: *est animal: ergo est homo.*

72. Termini pertinentes *repugnantia* invicem opponuntur, alii contrarie, alii contradictorie. *Contrarii* sunt duo termini positivi simul repugnantes, ut *calor*, & *frigus* in gradibus intensis. *Contradictorii* sunt *forma*, & ipsius *carentia*. Primi possunt divinitus compati in eodem subjecto, non ita secundi: quia impossibile est idē simul esse album, & non esse album; non tamen esse album, & nigrum.

73. Nominum repugnantium alia sunt opposita *relative*, ut *Praceptor*, & *Discipulus*, quorum quilibet dicit respectum ad alterum. Reli-

qua sunt non opposita, sive disparata, ut *Lapis, & Lignum*. Tandem carentia aut est *privatio*, aut *mera negatio*. Privatio est carentia formæ in subjecto apto, ut carentia visûs in homine cæco. Negatio est carentia formæ in subjecto inepto, ut carentia visûs in lapide.

SECTIO SECUNDA.

De Terminis simplicibus, & complexis.

EXacta totius Philosophiæ intelligētia multum pendet ex terminis Dialecticis; ea de causa apud antiquos invaluit proverbium: *Disce terminos, & fuge ab scholis*. Termini alii sunt simplices, ut nomina, & verba; alii conjuncti, sive complexi, ut definitiones, & aliæ pleræque orationes: sed quia prius de nomine, quam de verbo egit Aristoteles, ideo sit

QUÆSTIO PRIMA.

Statuitur definitio Nominis Dialectici.

74. NOmen definitur: *Vox significativa ad placitum, definite, & in recto, ac sine tempore, cujus nulla pars significat separatim.* Ita Arist. 1. Periherm. c. 2. P. P. C. C. ibidem, P. Pons. 1. Institut. c. 12, & alii. Approba-

probatur: quia traditur per genus, & differentiam. Particula *vox* ponitur loco generis, per quod convenit nomen cum verbo: reliquæ denotant differentiam.

75. Expenditur hoc amplius: dicitur *significativa ad placitum* ad excludendas voces nō significativas, ut *Blictri*, vel naturaliter significantes, ut gemitus. *Definite* rejicit terminum infinitum, ut *Nonhomo*: quia nomen, cum sit quasi *novimen*, sive *notamen*, & serviat ad scientias, debet significare aliquid determinate: hoc autem non significat nomen infinitum.

76. *In recto* excludit casus obliquos; quia isti non sunt nomina, sed casus nominum: item adjectiva, & alia syncategoremata. Dicitur *sine tempore* ad distinguendum nomen à verbo, quod cum tempore significat. Per ultimam particulā *Cujus nulla pars*, &c. differt nomen ab oratione, cujus partes aliquid significant separatim.

77. Arg. 1. Hoc nomen *Lingua* significat naturaliter; cum sit effectus linguæ, & oris, à quibus profertur: ergo non bene ponitur in definitione particula *significativa ad placitū*. R esp. disting. antec: significat naturaliter in ratione vocis, concedo ob rationem insinuatam: in ratione nominis, nego antec. & conseq: quia sicut fuit impositum ad significandum linguam, poterat institui ad significandum aliud diversum.

78. Inst. Hoc nomen *Lingua* ut formaliter

vox

vox significat naturaliter: sed ut nomen est formaliter vox: ergo ut nomen significat naturaliter. Resp. neg. min: quia particula *ut* reduplicat supra partem præcipuam nominis, nimirum impositionem: hæc autem non est vox, sed actus voluntatis. Vel dic nomen significare naturaliter, & ad placitum.

79. Arg. 2. Nomen infinitum *Non homo* est verum nomen logice: sed illi non competit definitio: ergo, &c. Resp. neg. mai. ob dicta num. 75. Inst. *Ens*, quod plura significat, quam *Non homo*, est verum nomen: ergo etiam *Non homo*. Resp. neg. cons: quia *ens* significat determinate ex modo significandi, & amplitudo illi convenit ex parte rei significatæ. At nomen infinitum non ita significat, ut patet.

80. Arg. 3, Definitio competit pronominibus: & tamen nõ sunt nomina: ergo, &c. Resp. neg. mai: quia pronomina, adjuncto verbo *est*, non efficiunt per se orationem significantem verum, vel falsum: hoc autem denotat particula *in recto*. Unde pronomen in hac propositione *ego sum* solum efficit orationem veram ratione nominis, pro quo ponitur.

81. Arg. 4. casus obliqui non significant in recto: & tamen sunt vera nomina: ergo rejicienda est particula *in recto*. Resp. neg. min: quia nomen logicum, adjuncto verbo *est*, semper efficit per se orationem, quæ significet verum, vel falsum:

falsum: hæc autem non fit per casus obliquos, qui solum ingrediuntur propositionem ratione recti, cui associantur.

82. Arg. 5. Hæc nomina *dies, hora, mensis,* significant cum tempore: ergo superflua est particula *sine tempore.* Resp. neg. antec: quia non significant aliquam actionem, quæ fiat in tempore determinato, exprimendo essentialem differentiam temporis, in qua fiat, ut mensuram illius: hoc autem necessarium erat, ut significarent cum tempore.

83. Inst. *Prandium,* & *cena* significant differentiam essentialem temporis: ergo significant cum tempore. Resp. neg. antec: quia solum significant matutinum, & vespertinum, quæ sunt differentiæ accidentales; nam reperiuntur in eadem duratione respectu diversorum locorum, v.g. apud Lusitanos, & eorum antipodas. Unde significant tempus, sed non cum tempore.

84. Inf. Ergo saltem hæc nomina *Maiores, Posteri* significant cum tempore: siquidem connotant differentias essentiales temporis, nempe præteritum, & futurum. Resp. neg. illationem: quia non significant ipsum tempus ut mensuram alicujus actionis, quod est proprium solius verbi: igitur non significant cum tempore, cum ita non significent.

85. Arg. 6. Nomen *Dominus* habet partes, quæ separatæ significant, nempe *Do,* & *minus:* ergo

ergo illi non convenit definitio assignata. Resp. distinq. antec: separatæ significant, ut voces adæquate diversæ, conc: ut partes componentes nomen *dominus*, nego antec., & conseq: quia neutra se sola aliquid significat ratione sui: & hic est sensus particulæ ultimæ appositæ in definitione.

86. Pro aliis solvendis disce 1. nomen non definiri per vocem, quæ est materia, in abstracto solitarie, sed cum applicatione formæ, nimirum *vox significativa*. Sic recte definitur statua: *est aurum figuratum*. Si compositum humanum non bene definitur: *Materia prima cum forma rationali*, ideo est: quia est unum per se, & significaret entia simpliciter plura: quod non est admittendum.

87. Disce 2. nomen adjectivum, & substantivum differre inter se logice: quia primum non est basis verbo, cum quo faciat propositionem veram, vel falsam; maxime vero secundum. Sic non sunt bonæ istæ propositiones: *Albus est: Petri est*: quia in utraque intellectus manet dubius de affirmatione. Hæc: *Pœnitet me peccati*: est virtualiter logica, quatenus facit hunc sensum *Pœnitentia me tenet peccati*.

DUBITATIONES SOLUTÆ.

88. DUbitabis 1. an nomen *ens* possit infini-

infinitari, si absolute sumatur in tota sua latitudine? Negat. P. Rub. lib. 1. Perihermen. c. 2. n. 63. cum Alberto Mag., Toleto, & aliis. Prob: quia *ens* infinitatum debebat significare aliquod ens non contentum sub ente in tota sua latitudine: significaret enim ens aliquod, tanquam fundamentum negationis, quam significat: sed hoc repugnat: ergo etiam, quod infinitetur. Idem dic de aliis transcendentibus.

89. Expenditur minor: quia *non ens* idem erit, atque *ens*, quod *non sit ens*: hoc autem manifestam involvit contradictionem. Unde negatio infinitans præter *non esse* alterius rei, significat esse ipsius rei, in quo quasi fundatur non esse alterius: siquidem prædicatum infinitum identificatur cum subjecto ratione alicujus positivi.

§ Loquimur in præsenti de nomine perfecte infinito, quod juxta Aristotelem debet esse affirmabile vere tam de entibus, quam de non entibus: quia non negamus nomen *ens* posse imperfecte infinitum fieri in negativa saltem propositione, ut *Homo non est nō ens*, ut advertit P. Rub. cit. Hoc adnotato, tradita doctrina

90. Fulcitur amplius: quia hæc propositio: *Petrus est non homo*: est falsa, sicut hæc inde deducta: *Petrus non est homo*: ergo idem erit in hac: *Homo est non ens*; cum etiam falsa sit hæc: *Homo non est ens*. Dixi supra: *si absolute sumatur*: quia aliter potest habere hunc sensum verum: *Homo*

est

est ens, quod non est ens in tota latitudine.

91. Dubitabis 2. an detur nomen complexum? Negandum: quia nomen non potest habere partes significantes separatim, ut patet ex ipsius definitione: sed solum hoc modo esset complexum: ergo. Ad diluendas objectiones contrarias sufficiunt; quæ supra tetigimus n. 75. omne enim nomen unicam habet impositionem.

92. Dubitabis 3. an nomen dicat de formali vocem, & significationem? Affirmandum: quia artefacta, quæ determinant certam materiam, & formam, utramque dicunt de formali: sed nomen est artefactum determinans pro materia vocem, & significationem pro forma: ergo utranque dicit de formali.

93. Stabilitur ab exemplis. 1. quia navis determinate postulat certam materiam, nempe levem, & aptam ad navigandum; & gladius materiam duram, & aptam ad feriendum; utrumque dicit de formali materiam, & formam: ergo idem erit in nomine ex eodem capite. 2. quia ex ea ratione significativum vocale dicit de formali utrumque juxta P.P.C.C. c. 4. de orat. art. 1.

94. Dices 1. Signum ex instituto est artefactum, & tamen solum dicit de formali formâ: ergo ita erit nomen. R. neg. conf.; diversitas est: quia signum ex instituto non postulat determinatam materiam; cum aliquando habeat pro materia vocem, aliquando rem, v.g. lignum, aut

idem.

Iridem. Aliter se res habet in nomine; & ideo aliter ibi philosophamur.

95. Inst. Species non addit supra suum genus diversam materiam: sed signum ex instituto, quod est genus ad nomen, & verbum, non dicit de formali vocem: ergo neque nomen illam dicit. Resp. neg. mai. quia addit etiam materiam quasi physicam, dum addit differentiam desumptam à materia, quæ in casu argumenti est diversa in inferioribus.

96. Dices 2. *Album* non determinat certã materiam, sive subjectum: ergo neque nomen. Resp. neg. conf. ratio diversitatis est: quia natura in concretis accidentalibus solum intendit formam, præsuppositã jam constitutione subjecti in suo esse. Ars vero in suis operibus æque principaliter intendit materiam saltem in genere, videlicet duram ad gladium, levem ad navem: & ideo hæc, & non illa, exprimunt, & determinant certam materiam.

97. Dices 3. *Risibile* determinat certum subjectum, nempe hominem; sed solum de connotato, & non de formali, dicit hominem: ergo idem dicendum de nomine. Resp. neg. conf. disparitas est: quia *Risibile* est connotativum; proindeque debet dicere aliquid de connotato, non formã: ergo subjectũ. At nomen est absolutum, & non connotativum; & ideo exprimit materiam, & formam.

MUL-

MULTIPLEX DIFFICULTAS.

98. Difficultas prima; an ea vox censeatur simplex in significando, cui respondet in mente unicus cõceptus primarius, & immediatus? Affirmãt P.P.C.C.c.4. de orat. q.2.art.1. Prob: quia illa cẽsetur vox simplex in significando, quæ gaudet unica impositione: sed uni impositioni unicus respondet in mente conceptus primarius, & immediatus: ergo, &c.

99. Firmatur: quia voces imponuntur ad manifestandas res loco conceptuum: ergo simplicitas illius desumenda est à simplicitate cõceptûs. Dixi *primarius*: quia non obstat, quod vox habeat alios conceptus secundarios. Sic *album* est vox simplex, cui primario respondet conceptus albedinis, tametsi illi respondeat secundario conceptus subjecti.

100. Dices 1. Concretis *Album, & calidum* respondet primario duplex conceptus, nempe unus formæ, alter subjecti: & tamen est vox simplex in significando: ergo, &c. Resp. neg. mai: quia sumpta pro rebus significatis dicunt de formali formam, & connotant subjectum; cum sint concreta connotativa, & non determinent certam materiam, ob dicta n. 96.

101. Inferes. Ergo saltem illis concretis respondet duplex conceptus primarius, si ipsa sumam-

sumantur, ut sunt nomina: nam unus conceptus respondet voci, alter significationi, quæ dicuntur de formali: sed conceptus illius, quod dicitur de formali, est primarius: ergo. Resp. neg. illationem: quia ibi non respondet duplex conceptus duplicis significationis, quod solum negamus; & necessarium erat, ut esset vox complexa.

102. Dices 2. *Sanum* est vox complexa: & tamen illi respondet unicus conceptus primarius, & immediatus, nempe *animalis*: ergo resolutio non stat. Resp. neg. min. quoad secundam partem: quia licet significet primario, & principaliter solum animal, & secundario pulsum, & cibum; utrunque significat immediate per distinctam impositionem.

103. Dices 3. *Animal rationale* est vox complexa: atqui illi respondet unicus conceptus primarius hominis: ergo, &c. Resp. neg. min: quia respondet unus conceptus animalis, alter rationalis; esto secundario illi respondeat unicus conceptus hominis. Sic ex eodem capite est complexa vox *Nemo*, id est *nullus homo*, *nihil*, id est, *nullares*; *semper*, id est, *in omni tempore*.

104. Difficultas 2. Utrum nomen adjectivum, & substantivum ejusdem formæ sint diversæ speciei? Affirmat P. Suar. Lusit. in log. tract. 6. n. 402. Prob: quia ea nomina habent significata essentialiter diversa; sed hoc satis est

ad discrimen essentiale: ergo. Maior constat: quia *Album* adjectivum dicit in recto subjectū, & formam in obliquo; è contra vero, cum est substantivum: hi autem modi significandi sunt essentialiter inter se diversi.

105. Oppones 1. Ea diversitas solum est accidentalis: siquidem subjectum semper est idem: ergo, &c. Resp. neg. antec. quia subjectū solum est idem materialiter, & non formaliter: diverso enim modo significatur; ab adjectivo dicitur in recto, a substantivo in obliquo: distinctio autem proveniens a significato formaliter diverso est essentialis.

106. Oppones 2. Utriusque concreti est idem formale significatum, nimirum eadem forma: ergo etiam eadem ratio specifica. Resp. neg. conseq. quia licet significatum formale sit idem materialiter, est formaliter diversum, quatenus in albo adjectivo significatur per modum adjacentis, & in obliquo; & in albo substantivo in recto, & per modum subsistentis.

107. Oppones 3. *Album* substantive potest sumi adjective: siquidem poterit quis vere illud prædicare de cygno: ergo conceptus nominis adjectivi, & substantivi ejusdem formæ non distinguuntur specie. Resp. neg. antec. & illius probationem, si servetur idem conceptus: quia tunc propositio *Cygnus est albus* faciet hunc sensum falsum *Cygnus est albedo in subjecto.*

108.

108. Difficultas 3: ſitne caſus rectus ſpecie diverſus ab obliquis? Affirmant P.P. C.C. c. 4. de orat. q. 2. artic. 3. Prob. quia caſus rectus habet per ſe efficere propoſitionem veram, aut falſam, adjuncto: verbo *eſt*: idvero non habet ratione ſui caſus obliquus, ut diximus à n. 80: ſed hæc prædicata arguunt diſtinctionem ſpecificam: ergo. Diverſitas generum *Lapis*, & *petra* non eſt eſſentialis: quia ſtant cum identitate ſignificati formalis, ut patet.

109. Objicies 1. voces tunc differunt logice, quando in ordine ad propoſitionem generant in mente diverſos conceptus eſſentiales: ſed hos non ingerunt menti caſus rectus, & obliquus: ergo. Reſp. neg. min: quia formaliter ſumpti, unus poteſt per ſe efficere propoſitionem veram, vel falſam; non verò alius: quidquid ſit, quod eos non ingerant, ſi ſpectentur ſecundum materiale ſignificatum utriuſque.

110. Objicies 2. caſus obliqui non differunt eſſentialiter inter ſe: ergo neque rectus, & obliquus. Reſp. neg. conſ: quia caſus rectus ordinatur per ſe ad conſtituendam propoſitionem logicam; non ita obliquus; & ideo diſtinguuntur eſſentialiter. Hæc autem diverſitas non reperitur in caſibus obliquis, ſi inter ſe comparentur. Unde hæc propoſitio *Petri eſt genitivus*, eſt logica: quia intelligitur *vox*, aut *caſus*.

111. Objicies 3. ſyllogiſmus per ſe conſtat

ſolum tribus terminis, ut alibi dicetur: ſed contrarium ſequitur ex noſtra doctrina, ut patet in hoc: *Nulli aſtro fixo contingit eclipſis: Bootes eſt aſtrum fixum: ergo Booti non contingit eclipſis:* nam *eclipſis, Bootes, & aſtrum* differunt eſſentialiter à terminis *Aſtro,* & *Booti*; ergo.

112. Reſp. neg. min: quia per accidens ſe habet reſpectu ſyllogiſmi, quod ita aptetur, cum poſſit recte diſponi in hunc modum: *Nullum aſtrum fixum eſt deficiens: Bootes eſt aſtrum fixum: ergo Bootes non eſt deficiens.* Additur eam diverſitatem ſolum cenſeri ab aliquibus Grãmaticam, & non Logicam; cum termini ſint ejuſdem declinationis.

QUÆSTIO SECUNDA.

Expenditur Verbi Dialectici definitio.

113. VErbum Dialecticũ definitur: *Vox ſignificans ex inſtituto, definite, ac cum tempore præſenti, cujus nulla pars ſignificat ſeparatim, & ſemper eorum, quæ de alio prædicantur, eſt nota.* Recta eſt hæc definitio: quia clare explicat definitum, & illud diſtinguit à nomine, & aliis vocibus ſignificativis. Tres priores particulæ explicatæ ſunt à n. 74. *Cujus nulla pars,* &c. rejicit orationes.

114. Particula: *Cum tempore,* per quã verbum

bum differt a nomine, superius declarata est à n. 82. Additur *præsenti*: quia solum verbum de præsenti efficit perfectam enuntiationem: nam ex falsitate, aut veritate propositionum de præsenti desumitur veritas, vel falsitas cujuscumque propositionis. Ideo enim est vera hæc propositio: *Adamus peccavit*: quia fuit aliquando verum dicere: *Adamus peccat.*

115. Ultima particula: *Semper eorum, quæ de alio prædicantur, est nota*; indicat semper verbum in oratione poni loco prædicati. Ita Arist. de Interp. c. 3. P.P. C.C. ibidem, P. Fons. 1. Instit. c. 14. Excluduntur hac parte definitionis participia præsentis temporis: quia non efficies perfectum sensum dicendo: *Petrus disputans*, nisi addas verbum *est.*

116. Arg. 1. nullum datur verbum infinitum: nam verbum in oratione cum negatione manet negatum: ergo superflua est particula *definite.* Resp. neg. antec. & illius probationem: quia in hac propositione: *Petrus non legit* si solùm negatur forma in concreto, & non nexus, manet verbum infinitum; cum efficiat hunc sensum affirmativum: *Petrus est non legens*: non ita vero, si negetur nexus, ut: *Petrus non est legens.*

117. Inst. Particula negativa præfixa verbo semper negat ejus copulam cum subjecto: ergo reddit verbum negatum. Resp. neg. antec. 1: quia negatio præfixa verbo extra orationem so-

lum negat formale significatum, & non copulã: ergo ita erit in oratione. 2. quia vocabula significant ex voluntate hominum, qui possunt accõmodare negationes significato formali, & non copulæ.

118. Stabilitur solutio: 1. quia si datur nomen infinitum; cur non etiam verbum? 2. quia Aristot. docet verbum infinitum dici de his, quæ sunt, & de his, quæ non sunt; non potest autem de aliquo dici, nisi in oratione: ergo ibi manet infinitum. 3. ne in hoc syllogismo: *Stellæ, quæ non scintillant, sunt prope nos: planetæ non scintillant: ergo sunt prope nos*: sequatur conclusio affirmativa ex minori negativa.

119. Arg. 1: verba *Creo, Cogito* non significant cum tempore; cum solum denotent instans, in quo fit cogitatio, & creatio: ergo incongrue traditur particula: *Cũ tempore*. Resp. neg. antec: quia semper significant cum tempore partiali; licet non ita sit cum tempore adæquato: hoc enim cum sit motus secundum prius, & posterius, requirit saltem duo instantia.

120. Firmatur: quia nomine temporis intelligitur quævis duratio, quemadmodum nomine actionis quævis res significata per modum actionis, prout idem est, atque exercitium, sive hoc sit aliqua actio, sive privatio illius. Unde verba *Quiesco, sisto*, & similia significant cum tempore, quatenus significant exercitium privatio-

vationis actionum.

121. Inst. Verbum in hac propositione: *Deus est æternus*: absolvitur ab omni tempore: ergo, &c. Resp. neg. antec. in sensu proxime explicato: semper enim verbum *est* significat de præsenti durationem Dei, sive actualem illius correspondentiam ad instans præsens temporis saltem imaginarii; quod satis est ad sustinendam conclusionem.

122. Arg. 3. Hæc propositio: *Petrus curret*: est vera, vel falsa: & tamen fit per verbum de futuro: ergo non bene ponitur particula: *Præsenti*. Resp. disting. mai: dependenter à tempore præsenti, quatenus erit tempus præsens, in quo sit verum, vel falsum dicere: *Petrus currit*, conc: independenter à tempore præsenti, nego mai. ob rationem datam.

123. Inst. Hæc propositio est vera: *Viginti Reges fuerunt in Hispania*: sed nunquam fuit verum dicere de præsenti: *Viginti Reges sunt in Hispania*: ergo non stat solutio. Resp. disting. min: secundū omnes suas partes collective sumptas, conc: divisim sumptas, nego min: quia de quolibet Rege verum fuit dicere de præsenti: *Nunc est Rex*.

124. Arg. 4. In hac propositione: *Disputa est verbum*: *Disputo* solum habet locum subjecti: ergo perperam adjungitur particula: *Et semper eorum, quæ de alio prædicantur*, &c. Resp. neg.

conſ: quia ea particula intelligitur de verbo formalite, ſumpto pro ſuo ſignificato; at in ea propoſitione accipitur ſolum materialiter pro voce.

QUÆSITUM DUPLEX.

125. QUæres 1. Quomodo dividatur verbum? Dividitur in ſubſtantivum, quod ſignificat actionem eſſendi, ut *ſum, es, eſt*; & in verbum adjectivum, quod ſignificat actionem operandi, ut *Lego*. Unde ſolum *ſum, es* dicitur verbum ſubſtantivum; alia omnia ſunt verba adjectiva, quatenus explicant ſuam veritatem dependenter a verbo *ſum, es*.

126. Adverte obiter verbum adjectivum eſſe minus ſtricte verbum logicum, atque verbum *ſum, es*, quia hoc explicat ſuam veritatem, aut falſitatem independenter ab alio verbo; non ita vero adjectivum, ut patet in hac propoſitione: *Petrus currit*; quæ ita reſolvitur: *Petrus eſt currens*. Hæc cohærent ſupra dictis à n. 122.

127. Quæres 2. An verbum *ſum, es* poſſit infinitari? Videtur negandum: quia verbum infinitatur, quando per negationem præpoſitam extenditur ad ſignificationem alterius verbi, in quod reſolvitur; ut *Petrus non currit*: id eſt: *Petrus eſt non currens*: ſed non datur aliud verbum ſubſtantivum; ergo. Sic diximus ſupra à n. 88.

præ-

prædicata transcendentia v.g. *ens* non posse infinitari.

128. Neque obstat, quod verba adjectiva infinitari possint: nam hæc habent verbum substantivum, in quod possint resolvi. Nota obiter, quando dicitur verbum infinitum in oratione transire in negatū, id debere intelligi per illationem, quatenus verbum infinitum infertur ex negato.

QUÆSTIO TERTIA.

Qualenam sit significatum formale verbi?

129. VErbum habet 4. significata. Primum est unicuique proprium, nempe forma, v. g. *amor*, quam significat *Amo*. Secundum est tempus, quod mensurat primum significatū. Tertiū est nexus prædicati cum subjecto. Quartum est modus concretionis formæ cum subjecto, ratione cujus omne verbum dicitur connotativum. His positis, sit

130. Resolutio 1. Verbum solum de connotato adsignificat tempus. Ita P.P. C.C. c. 4. de orat. q. 2. art. 4. §. *Communis tamen*. Prob. quia verbum dicit de formali suam formam per modum actionis exercitæ: ergo solum de connotato dicit tempus, quatenus actio solum egreditur à principio in tempore: aliter verbum non

esset simplex; cum haberet duplex significatum formale; quod non est dicendum.

131. Arg. 1. Verbum *Duro* dicit de formali durationem: sed duratio est tempus: ergo verbum dicit de formali tempus. Resp. dist. mai: durationem ut formam per modum actionis exercitæ, conc: ut mensuram ipsius formæ, nego mai: quia præter eam durationem, denotat tempus externum reale, aut imaginarium, in quo res ipsa duret; & solum hoc negamus.

132. Arg. 2. Conceptus signorum in his propositionibus: *Adamus est*: *Adamus fuit*: differunt essentialiter ratione temporis: sed hæc diversitas solum provenit à significato formali, ut nuper diximus: ergo. Resp. neg. mai: differunt enim ratione formæ cum habitudine ad diversum tempus connotatū. Sic verbum differt a nomine abstracto per formam sumptam in ordine ad subjectum, & non per ipsum subjectum.

133. Resolutio 2. Verbum non dicit de formali nexum. Ita P. P. C. C. c. 4. de orat. q. 2. art. 4. Prob. quia verbum non dicit de formali nexum extra orationem; cum unio non possit intelligi, separatis extremis: ergo neque in oratione: quod enim aliquando non est significatum formale, nunquam est; siquidem verbum semper habet suum formale significatum.

134. Arg. 1. Verbum *est* solum exercet ratione nexûs in propositionibus necessariis, qua-

lis

lis est v.g. *Homo est animal*: ergo dicit nexum de formali; cum non habeat aliud significatũ. Resp. neg. antec: quia verbum semper est prædicatum: affirmatur igitur essentia, quæ innuitur per participium *ens* inclusum in verbo *est*.

135. Inst. saltem in hac propositione: *Petrus est ens*: verbum solũ est nexus: ergo. Resp. neg. antec: quia etiam ibi affirmatur ens, quod est de se indifferens, & determinatur per subjectum, & subsequens prædicatum ad rationem entis realis, & positivi. Neque ibi prædicatur bis eadẽ entitas, semel indeterminate ratione verbi *est*, & iterum determinate ratione prædicati *ens*, sed unum totale determinatum.

137. Elucidatur exemplis: 1. in hac propositione: *Cæcitas est privatio*: affirmatur significatum verbi, & illius significatio restringitur ad esse negativum: verbum enim *est* præscindit ab esse positivo, & negativo. 2. in hac propositione: *Petrus est albus*: verbum determinatur ab appositio *albus*, & sensus est: *Petrus est ens habens albedinem*.

137. Arg. 1. Omne verbum est connotativum: sed connotativa dicunt de formali unionem, sive inhærentiam; quod idem est: ergo. Resp. dist. min: unionem formæ cum subjecto, conc. ob rationem insinuatam: unionem prædicati cum subjecto, nego min; & conf. ob dicta in nostro fundamento. Deinde verbum, ut ait

Arist.,

Arist., solum consignificat tempus: ergo dicit illud de connotato.

138. Resolutio 3: Verbum significat de formali suam formam. Ita A.A. proxime citati. Prob: quia verbum dicit de formali illud, ad quod significandum imponitur: sed verbum imponitur ad significandum suam formam per modum actionis exercitæ, v.g. *Amo* amorem, *Intelligo* intellectionem: ergo verbum dicit de formali formam: cum vero illam significet, ut inhærentem, etiam dicit inhærentiam.

139. Dices: In hac propositione: *Paulus est homo*: non assignatur forma, quam verbum dicat de formali; cum non dicat humanitatem in concreto, quæ solum significatur per nomen *Homo*: ergo. Resp. neg. antec: significat enim entitatē in concreto per modum actionis exercitæ. Nomine *Formæ* intellige saltem rationem prædicati in sensu logico.

QUÆSTIO QUARTA.

Quid sit terminus complexus, nempe oratio?

140. Oratio definitur: *Vox significativa ex instituto, cujus aliqua pars significat separatim.* Ita cum Arist. P.P.C.C. c. 4. de orat. q. 3. art. 1. P. Fons. 3. Instit. c. 1. Recte procedit definitio: quia clare explicat naturam

turam definiti, & traditur per genus, & differentiam: comprehenditque omnes orationes tam perfectas, quam imperfectas.

141. Explicantur particulæ definitionis: *Vox significativa ex instituto*; denotat convenientiam genericam orationis cum nomine, & verbo, quæ sunt significativa ex instituto. Alia: *Cujus aliqua pars significat separatim*: distinguit orationem a verbo, & nomine, quorum partes separatæ nil significant.

142. Dicitur: *Cujus aliqua pars*, & non: *Cujus omnes partes*: 1. quia satis est ad distinguendum orationem à verbo, & nomine, quod aliqua pars significet separatim; cum nulla pars verbi, aut nominis significet ratione sui. 2. quia aliqua pars orationis imperfectæ, qualis est v.g. *Nullus, Quidam*, & similes, non significat, sed solùm dicitur consignificare.

143. Arg. 1. Definitio comprehendit orationes etiam imperfectas, quales sunt v.g. *Nemo, Nihil, Ubique, Semper*: sed hæ non constant partibus: ergo non bene dicitur: *Cujus aliqua pars*, &c. Resp. neg. min. & conseq: quia habent partes virtuales, & implicitas; hoc autem satis est ad significationem complexam, & sustinendam definitionem.

144. Explicatur amplius: oratio imperfecta, cum sit unica vox v.g. *Nemo*, non habet partes formales: habet tamen partes virtuales: quia

Nemo

Nemo ponitur pro *Nullus homo*, *Nihil* pro *Nulla res*, *Ubique* pro *In omni loco*, *Semper* pro *In omni tempore*. Unde illis competit definitionis particula: & apud Dialecticos potius attenditur significatio nominis, quam vox.

145. Arg. 2. Omnes partes orationis sunt significativæ: ergo inepte ponitur: *Cujus aliqua pars significat separatim*. Resp. neg. antec. quia adverbia, & adjectiva non significant ratione sui aliquid determinatum, sed solum consignificant ratione alterius, cui adduntur, ut clarius dignoscitur in orationibus imperfectis proxime datis.

146. Arg. 3. Partes orationis perfectæ v.g. *Blictri non est Syndapsus*: non significat separatim: ergo. Resp. neg. antec: quia ibi partes formales orationis non sunt *Blictri*, & *Syndapsus*, sed termini subauditi v.g. *sonus*, aut *vox*, qui sunt significativi. Unde sensus illius orationis est: *Vox Blictri non est vox Syndapsus*.

147. Arg. 4. Oratio imperfecta v.g. *Quidam homo*: est significativa quoad omnes suas partes: nam *Quidam* restringit terminum *homo* ad unum, ac proinde significat quoad modum, ratione cujus illi correspondet proprius conceptus: ergo non subsistit explicatio particulæ: *Cujus aliqua pars*, &c. Resp. neg. antec: & insinuatam probationem.

148. Declaratur ratio negandi: quia *Quidam*, *Nullus*, & *Omnis* in sensu stricto sunt syn-

cate-

categoremata: hæc autem ſicut de aliquo non dicuntur per ſe, ita non ſignificant ratione ſui aliquid determinatum: & hoc ipſum eſt ſignificare quoad modum. Si illis correſpondet proprius conceptus; is ſolum eſt conſignificativus, non vero ſignificativus. Vide dicta n. 145.

149. Arg. 5. Oratio eſt artefactum conſtans pluribus vocibus: ergo non eſt vox ſingulari. Reſp. diſting. conſ: non eſt vox ſimplex, conſ: habet enim plures ſignificationes: vox cõpoſita, ſive una unitate ordinis, nego antec. & conſ: quia hoc tantum volumus ſignificare per particulam *vox* ſequentes Ariſtotelem.

150. Inſt. Exercitus conſtans pluribus hominibus non dicitur homo; neque domus compoſita ex pluribus parietibus dicitur paries: ergo neque oratio conſtans pluribus vocibus dicetur vox. Reſp. neg. conſeq. diſparitas ſumitur ex communi modo loquendi, qui ſtat pro una, & non pro alia parte.

151. Arg. 6. Ideo oratio haberet partes ſignificantes ſeparatim; quia ejus ſignificatio nõ differret a ſignificationibus partium: ſed hoc eſt falſum, ut convincitur exemplo veritatis, quæ eſt diſtincta: ergo. Oſtenditur minor: quia ſi ſignificatio eſſet unica, poſſet eſſe in tota oratione; quod repugnat naturæ orationis complexæ.

152. Reſp. neg. min: quia oratio non habet diverſam impoſitionem: ergo neque ſignificationem,

onem, quæ in illa consistit. Ad exemplum veritatis dic eam non coincidere formaliter cum significatione: quia hac stante, potest oratio nunc vera, nunc falsa esse. Hinc tamen non infertur veritatem non esse adæquate intrinsecam propositioni vocali, sicut & mentali.

153. Arg. 7. Definitio est clara explicatio definiti: sed particula: *Significat separatim*: non facile intelligitur; siquidem, separatis partibus, jam non datur oratio: ergo. Resp. neg. min: quia significare separatim idem est, atque habere partes, quarum quælibet habet specialem significationem, sicut & impositionem: hoc autem est satis perspicuum.

154. Pro aliis objectionibus solvendis Scies 1. hac definitione non comprehendi orationem mentalem, si verum est, quod ipsa non sit significativa ex instituto, nec etiam habeat partes saltem implicitas, & virtuales, ut multi, & non ignobilis notæ Philosophi probabiliter docent: hoc enim requiritur ad orationem hic definitam.

§. Scies 2. ad orationem non requiri, quod affirmet, vel neget, licet hoc non illi repugnet: sic aer non exigit lucem, sed non illi repugnat eam habere. Unde sufficit, quod illius partes significent per modum simplicium dictionum: quod videtur insinuasse Aristoteles, dum addidit definitioni: *Ut dictio, sed non ut affirmatio, vel negatio.*

155. Sci

155. Scies 3. illam dici perfectam orationem, quæ reddit perfectum sensum, v.g. *Homo est vivens*; illam vero imperfectam, quæ reddit sensum imperfectum, ut; *Liber Petri.* Scies 4. voces idem omnino significantes, v.g. *Marcus Tullius Cicero*, non facere integram orationem: cum enim significatum, pro quo voces ponuntur, sit idem, & eadem significatio; solùm censentur una pars orationis.

QUÆSTIO QUINTA.

Qualis nam sit materia, & forma orationis?

156. DIco 1. Voces significativæ, nempe nomen, & verbum, sunt materia orationis. Ita cõmuniter. Prob: quia voces significativæ præsupponuntur ad formam orationis: sed in artefactis hoc ipsum est materia: ergo. Stabilitur: quia vox, quæ præsupponitur ad formã nominis, est illius materia: ergo idem dicendum de vocibus significativis respectu orationis.

157. Dico 2. Nexus, quo partes inter se vinciuntur, est forma essentialis orationis, Ita P. P. C. C. c. 4. de orat. q. 3. art. 1. §. *Verò nomen sententiæ.* Prob: quia quod de novo inducitur, est forma: sed ita se habet nexus: ergo. Firmatur 1. quia hæ voces significativæ: *Terra, a-*

qua, Aer, non efficiunt orationem defectu nexus. 2: quia id denotatur per particulam vox in singulari.

158. Arg. 1. Significativum complexum habet eandem formam, quam simplex: sed forma simplicis est significatio: ergo etiam orationis. Resp. neg. mai: quia in significativo simplici solum inducitur de novo significatio; & in complexo inducitur nexus, præsuppositis vocibus significativis: ergo diversa erit forma utriusque significativi.

159. Arg. 2. Res definitur per formam: sed oratio definitur per significationem: ergo hæc est illius forma. Resp. disting. mai: per formam, & simul per materiam, conc: per solã formam, nego mai. & conseq: quia definitur oratio per significationem unam unitate ordinis: ideo enim dicitur simpliciter vox: ergo significatio est materia, & nexus forma.

160. Inst. Eadem entitas non est simul materia, & forma: sed significatio est forma: ergo non est materia orationis. Resp. neg. mai: quia quod est forma respectu nominis, nempe significatio, habet rationem materiæ respectu orationis. Neque hoc repugnat; cum sit respectu diversorum. Sic forma auri est forma respectu materiæ primæ, & materia respectu statuæ.

161. Arg. 3. Oratio dicitur una à forma: sed ita dicitur à significatione taliter applicata

ergo.

ergo. Resp. neg. min. quia oratio habet unitatē ab ordine, quo una pars unitur cum alia, nimirū à nexu. Si D. Thomas ait prædicatum esse formam subjecti: totum hoc stat cum eo, quod nexus sit forma utriusque, ut proxime vidimus.

162. Arg. 4. Nexus non est forma in compositis naturalibus: ergo neque orationis. Resp. neg. conseq: disparitas est: quia in compositis naturalibus nexus non est ultimum distinctivū; homo enim distinguitur à leone per rationale, album à nigro per albedinem. At in oratione nexus est ultimum distinctivum; cum aliud non appareat: quia significatio etiam datur in nomine, & verbo, à quibus oratio distinguitur.

163. Roboratur solutio: 1. quia oratio affirmativa, vel negativa habet pro distinctivo copulam verbalem, & argumentatio copulam rationalem: ergo oratio ut sic, cujus ipsa sunt species, habebit pro distinctivo nexum absolute: 2. quia oratio distinguitur à partibus significativis sine nexu spectatis: sed non per materiam, neque formam: ergo per nexum.

164. Arg. 5. Oratio imperfecta v.g. *Socrates sapiens*, datur sine nexu: ergo nexus non est forma orationis ut sic: aliter inveniretur in omnibus illius speciebus. Resp. neg. antec: quia ibi nexus est cohærentia Grammaticalis, ratione cujus partes mutuo vinciuntur. Ut maxime certum habeo, *Petrus albus*: ubi exprimitur forma

adjacenter. Verbum *est* habet rationem nexûs in orationibus perfectis.

DUBIUM SOLUTUM.

165. DUbitabis: Quotuplex sit oratio? Dividitur in perfectam, & imperfectâ, de quibus supra meminimus n. 155. Oratio perfecta subdividitur in enuntiativâ, & non enuntiativam: prima est, quæ aliquid affirmat, vel negat, ut: *Petrus est homo*: secundâ è contra, ut optativa, v. g. *Vellem mori in gratia*: de hac, & aliis similibus non curant Logici.

166. Oratio enuntiativa varie appellatur inter Logicos: in ordine ad prædicatū, & subjectum dicitur *Prædicatio*; ut syllogismum constituit, *Propositio*; ut in eo infertur, *Conclusio*: ut veritatem investigat, *Quæstio*; ut significat verum, vel falsum, *Enuntiatio*. Ad explicandam lentius enuntiationis naturam, sit

QUÆSTIO SEXTA.

Quomodo definiatur enuntiatio?

167. DEfinitur enuntiatio: *Oratio significans verum, vel falsum.* Ita Arist. 1. Periherm. c. 4. P. P. C. C. c. 4. de orat. q. 3. art. 1. §. *Tametsi propositio.* Aptatur definitio

in

in hunc modum: quia enuntiatio est idem, atque interpretati o animi: ad interpretem vero spectat reddere verum sensum illius, quem interpretatur, & foras evulgat.

168. Hæc definitio est descriptiva, cum tradatur per genus, & proprietatem: quia veritas, & falsitas divisive competit necessario omnibus enuntiationibus; sicut æqualitas, vel inæqualitas quantitati. Dixi: *Divisive*: quia non requiritur, quod utraque simul conveniat; nam omnibus necessariis perpetuo convenit veritas, & impossibilibus falsitas.

169. Arg. 1. Res non bene definitur per differentias contrahentes: sed veritas, & falsitas ita se habent; cum faciant differre speciales enuntiationes: ergo. Resp. juxta dicta n. 4. distinguo mai: per differentias contrahentes, tanquam per differentiam propriam, conc: ut explicantes propriam differentiam defectu vocabuli, nego mai, & conseq. Item ex eodem capite utimur ea disjunctione.

170. Arg. 2. Enuntiatio melius definitur: *Oratio dictiva alicujus de quopiam*: ergo. Resp. neg. antec: quia ipsa definitur, prout est interpres animi, & ad interpretem attinet evulgare, quale judicium de re habeat, qui loquitur: & ideo hic potius definitio traditur per veritatem, & falsitatem, quam per rationem dictivi.

171. Arg. 3. Hæc oratio; *Utinam mori*[illegible] signi-

significat verum, vel falsum: sed non est enuntiatio; ergo non est proprium hujus significare verum, vel falsum. Resp. neg. mai: quia ad hoc necessarium erat, quod affirmaret, vel negaret. Sic hæc: *Desidero mori*: est vera, vel falsa; ideo est: quia affirmat affectum internum moriendi: igitur si hic detur, erit vera; si secus accidat, erit falsa.

172. Inst. Ea oratio significat veracitem, vel mendacium: ergo etiam verum, vel falsum. Resp. neg. conseq: diversitas est: quia veracitas, & mendacium consistit in conformitate, vel difformitate cum judicio interno, quod indicat; & veritas stat in conformitate cum objecto, prout affirmatur: cum vero habeat primam conformitatẽ, & non secundam; ideo potest significare veracitatem; non vero veritatem.

173. Inf. Ergo eadem oratio poterit esse verax, & falsa: siquidem potest indicare judicium internum, quod proferens re ipsa habeat; & difformari ab objecto, si v. g. de objecto nigro dicat: *est album*, ita judicando. Concedo illationẽ: neque hoc repugnat; cum sit respectu diversorum. Si tamen tale judicium non existat, oratio erit mendax, & falsa.

174. Arg. 4. Omnes actus intellectus attingunt verum; cum illud habeant pro objecto: ergo quilibet illius actus, licet non enuntiativus, significat verum, vel falsum. Resp. neg. conseq:

quia

quia quamvis attingat verum objectivum, non illud affirmat, vel negat; quod necessarium erat, ut significaret propriam veritatem, aut falsitatem, quam non admittimus in apprehensione.

175. Arg. 5. Enuntiatio non significat veritatem formalem: cum enim dico: *Petrus existit*, non affirmo meum judicium conformari cum objecto: sed etiam non significat objectivam; cum illam non significet nomen, & verbum, quorum significatio est etiam significatio orationis: ergo absolute incongrue dicitur, quod enuntiatio significet verum, vel falsum.

176. Resp. neg. min: quia licet significatio nominis, & verbi sit eadem, atque significatio enuntiationis; attamen hæc modificatur per nexum, ratione cujus est dictiva: hoc autem non habet in nomine, & verbo; & ideo sola enuntiatio significat verum, vel falsum: non vero nomen, & verbum. Neque enuntiatio dicit objectum ita esse, prout enuntiatur; cum non reflectat, sed solum dicat objectum ita esse absolute, & in actu exercito.

177. Solidatur hoc amplius: quia proferens hoc judicium: *Homo est animal*, solum affirmat prædicatum includi in homine, & de modo ordinario non dicit, quod hoc sit verum: & multo minus reflectit supra falsitate formalem: repugnat enim, quod intellectus scienter judicet falsum; aliter assentiretur falso qua falso, ib.

178. Arg. 6. Hæc conditionalis: *Si homo ambulat, movebitur*: significat verũ, vel falsum: & tamen non est enuntiatio, cum careat verbo indicativi modi; ergo non stat definitio, nam convenit alteri præter definitum. Resp. neg. min: quia ad verbum de præsenti reducitur verbum de futuro, nam, impleta conditione, verum erit dicere de præsenti: *Homo movetur*.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quid, & quotuplex sit Definitio?

179. Assero 1. Definitio est *Oratio explicans totam essentiam rei*. Ita P. Fons. 5. Instit. c. 1. P. Oviedo, & alii. Particula *oratio* est genus, & denotat definitionem debere constare saltem duabus vocibus, quarum una explices conceptum genericum, alia differentialem: hi enim duo conceptus formantur de re definita. Reliquæ sunt loco differentiæ.

180. Dicitur: *Explicans totam essentiam*: quia aliter non esset explicatio essentiæ, sed solius partis essentiæ. Definitio, quæ etiam appellatur *Finitio* apud Latinos, nomen traxit ab agrorum finibus: sicut enim agrorum fines agros definiunt, claudunt que, & ab aliis secernunt; ita definitio quasi finit essentiam rei, eamque ab aliis distinguit.

181. Arg.

181. Arg. 1. Diuiſio etiam explicat eſſentiam rei; dum explicat partes eſſentiales totius diuiſibilis, quæ ſunt ipſa rei eſſentia: ergo ea definitio non eſt propria definitionis. Reſp. neg. conſeq: quia explicatio propria definitionis eſt illa, quæ declarat partes, ut conſtituentes definitum. At diuiſio explicat partes totius, quatenus illud dividunt.

182. Arg. 2. Bona definitio recurrit cum definito: ſed data definitio, utpote particularis, non recurrit cum definito, quod eſt definitio communis: ergo. Reſp. neg. min: quia licet ea definitio definitionis ſit actus particularis, attamen quoad ſignificationem repræſentat definitionem in communi: igitur quoad ſignificationem convertitur cum ſuo definito.

183. Arg. 3. Definitio, ut poſſit definiri, debet diſtingui à definito: ſed non ita ſe habet definitio reſpectu definitionis ut ſic; aliter diſtingueretur à ſe ipſa: ergo non poteſt definiri. Reſp. neg. min: quia definitio in communi, & hæc definitio in particulari diſtinguuntur inter ſe objective: ſicut homo cõmunis à particulari.

SECUNDUM ASSERTUM.

184. Aſſero 2. Definitio alia eſt nominis, altera rei. Prima explicat quid ſignificatum nominis, quatenus ſignificatio: ſecunda

secunda essentiam rei significatæ per nomen. Prima definitio etiam est definitio rei respectu ipsius nominis: & solum ita appellatur relate ad rem significatam per nomen. Unde *Homo* est *vox significans hominem ex instituto.*

186. Definitio rei, sive *quid rei* dividitur in essentialem, & descriptivam. Essentialis definitur ab Arist. 1. Topic. 4: *Oratio, quod quid erat esse rei significans*: id est, oratio conversim explicans essentiam rei per genus, & ultimam differentiam. Descriptiva sic: *Oratio explicans essentiam rei per ea, quæ sunt extra illius essentiam.*

186. Nomine rerum manentium extra essentiam intellige passiones, & proprietates; & aliquando plura accidentia, quorum quodlibet est multis commune, sed illorum collectio tantum convenit definito, ut cum dicimus: *Homo est animal implume bipes*: nam licet aliquod sit implume, & aliud bipes; nullum gaudet utraque proprietate.

187. Hunc sensum videtur habere definitio, quam ex Aristotele tradit P. Fonsi supra citatus c. 2. Definitio descriptiva est: *Oratio, quæ non significat, quod quid erat esse rei; soli autem inest, & convertitur de re predicatur.* Utraque definitio est explicatio essentiæ rei; sed essentialis eam explicat per differentiam essentialem; descriptiva per proprietatem.

188. Rogo hic, an definitio tradita

per

per causas intrinsecas, nempe materiam, & formam, sit essentialis? Affirmat P. Oviedo in summulis controv. 2. pun. 1. n. 7. quia explicat essentiam rei per prædicata essentialia compositi. Si tamen fiat per causas extrinsecas, poterit reduci ad descriptivam; cum non explicet essentiam per essentialia.

189. Rogabis 2: an etiam sit essentialis definitio, quæ generi, & differentiæ adjungit proprietatē? Affirmat P. Fonſ. jam citatus. Alii cōtrarium sentiunt: quia denominatio desumitur ab ultima forma, quæ in eo casu est differentia definitionis descriptivæ; proindeque dicenda est descriptiva. Sequere, quem volueris, cum sit quæstio de solo nomine.

LEGES BONÆ DEFINITIONIS.

190. AD bonam definitionem aliquæ numerantur leges. Prima est, ut sit clarior definito: alioquin non explicabit ejus essentiam. Huic legi adversantur definitiones, quæ idem per idem definiunt, & rem explicant per voces metaphoricas, & obscuras. Secunda est, ut convertatur cum definito: nam differentia posita in definitione debet esse propria solius definiti, ut visitur in hac: *Homo est animal rationale.*

191. Tertia lex 2. in definitione nihil sit diminu-

minutum, nec superfluum. Ratione prioris vitii non est definitio hominis hæc: *Vivens sensibile*, quia deficit *rationale*. Ratione posterioris est talis hæc: *Animal rationale mortale*: superfluum est illud *mortale*; siquidem includitur in animali, quod est mortale. Illud dicitur superfluum, quo detracto, oratio remanens satis rem declarat: hoc tamen vitium rarius est in definitione.

192. Quarta lex est, ut definitio sit brevis, modo brevitas obscuritatem nō pariat: quia, cum definitio frequentius occurrat inter disputandum, vitiodabitur, si adeo sit longa, ut non possit facile memoria retineri, & sine molestia repeti. Hoc vitio peccant, qui tot particulas congerunt in definitione, quot sunt difficultates in tractatione rei definitæ.

193. Quinta lex est, ut definitio cōstet genere, & differētia. Genus debet esse proximū, ut ait Aristoteles 7. Topicor. c. 7. & differentia esse ultima. Monet tamen idem Arist. 6. Topicor. c. 3. si definitio tradatur per genus remotū, adhibendas esse omnes differentias interjectas, ut si dicas: *Homo est substantia corporea, corruptibilis, vivens, sensitiva, & rationalis.*

194. Pro maiori rei explicatione observa 1. debere posse dici de definito proximo, quidquid prædicatur de definitione, & è contra: id enim continetur virtualiter in lege 2. Definitum duplex est, unum proximum, v.g. *Homo* respectu

suæ

ſuiæ definitionis, alterum remotum, v. g. *Petrus*, & alia individua hominis, quæ mediante homine definiuntur.

195. Dixi: *De definito proximo*: quia illa, quæ dicuntur ſingulariter de Petro (qui eſt definitum remotum) ratione propriæ differentiæ individualis, non dicuntur de animali rationali univerſaliter ſumpto. Hoc definitum remotum, ſive ſecundarium non dicitur ſimpliciter definitum: cum non definiatur ſecundum ſuum conceptum ſpecialem.

196. Obſerva 2. Tria exequenda in definitione eſſentiali, ut monet Ariſtoteles: 1. ut omnia prædicata, quæ ſumuntur, prædicentur eſſentialiter. 2. ut communiora præponantur minus cõmunibus. 3. ut nulla differentia prætermittatur. Quare ponitur genus proximum in definitione, quia in ipſo continentur omnia priora tum genera, cum differentiæ.

QUÆSTIO OCTAVA.

Quid, & quotuplex ſit Diviſio?

197. STatuo 1. Diviſio definitur: *Oratio totum in ſuas partes diſtribuens.* Ita P. Fonſ. 4. Inſtit. c. 1. P. Oviedo in ſuam controv. 2. pun. 2. n. 1. *Oratio* eſt genus, aliæ particulæ ſunt differentiæ. Totum, quod dividitur,

ditur, dicitur *diuisum*; partes, in quas dividitur, appellantur *Membra dividentia*; & oratio totum, ac partes simul attingens, dicitur *Divisio*. Hic agimus de divisione, quæ mente fit memorando singulas partes totius.

198. Dices 1. Homo, & brutum, in quæ dividitur animal, sunt integra animalia, & non partes: ergo nō stat clausula *in suas partes*. Resp. hominem, & brutum non esse partes integrales, sed potestativas animalis: ea de causa animal non dividitur ut totum integrale, sed ut totum potentiale, & potestativum in ordine ad suas species.

199. Dices 2. Animal est pars constitutiva hominis, & etiam leonis: ergo non potest dividi ut totum. Resp. neg. conseq: quia animal solum est pars actualis respectu hominis: cum hoc autem stat, quod sit totum potentiale respectu ipsius, quatenus est ratio generica. In hoc sensu sicut homo est species animalis, ita illius pars potestativa; quod idem est.

200. Statuo 2. Multiplex est Divisio: alia est nominis, alia est divisio rei. Prior, quæ distinctio appellatur, distribuit nomen in suas significationes, aut sensus, ut cum dicimus: *canis* aut significat canem marinum, aut terrestrem. Idem est in hac oratione habente plures sensus. *Littus arat*, alter sensus est, quod littus aratro proscindas, alter, quod operam perdas.

201. Di-

201. Divisio rei, quæ vocatur *Partitio*, est *Distributio totius in partes, quibus integratur*. Duplex est: prima est divisio totius essentialis: secunda totius universalis, sive potentialis. Divisio totius essentialis alia est metaphysica, alia physica. Metaphysica est distributio totius in suas partes metaphysicas, nimirum in genus, & differentiam, ut si dicas: *Hominis altera pars est animal, altera rationale.*

202. Divisio physica, sive realis, alia est distributio totius physici in suas partes, v. g. materiam, & formam; alia totius integralis in partes integrantes. Nomine *Partium integrantium* intellige eas, quibus tota aliqua magnitudo, aut multitudo extensa est. Partes si sunt ejusdem appellationis cum toto, dicuntur similares, & omogeneæ, ut partes aquæ, quarum quælibet est aqua: si diversæ appellationis, vocantur dissimilares, & heterogeneæ, ut manus, aut pes, quæ non sunt homo.

203. Divisio totius universalis, aut potentialis est illa, qua distribuitur gradus communis in sua inferiora, sive gradus ipse sit genus, sive species, aut differentia generica, & specifica, ut ex Aristotele bene notat P. Fonsec. lib. 4. Inst. c. 6. scito obiter Philosophos non agere directe de divisione individuorum, sicut neque de illorum definitione.

204. Gradus cõmunis, qui dividitur, vo-

catur *Totum* respectu inferiorum: quia illis constat identice. Dicitur *Potentiale*: quia non habet partes actu, sed potentia; quatenus potest contrahi cum inferioribus. Inferiora appellantur partes subjectivæ: quia formaliter non sunt in toto, sed sub toto, v.g. *Homo*, & *Brutum* sub animali.

205. Ex doctrina hactenus tradita satis liquet quinque esse genera divisionis per se, nempe nominis, rei, totius physici, totius metaphysici, & totius universalis: prima nominatur *Distinctio*, secunda *Partitio*, & tres posteriores proprie gaudent nomine *Divisionis*. Dixi: *per se*, quia totidem numerantur genera divisionum per accidens.

206. Primum dicitur Distinctio vocis multiplicis, v.g. si dicas: vocis *Acutum* alia est significatio stimulantis tactum, alia pungentis auditum. 2. Partitio, si dicas: hujus *animalis* altera pars est fulva, altera viridis. 3. Divisio physica, si dicas: *hominis* altera pars movet, altera movetur. 4. Metaphysica, si dicas: *hominis* altera pars est cōmunis brutis animantibus, altera ipsi peculiaris. In his membra dividentia sunt accidentia partium divisi.

207. Quintum, & præcipuum genus est divisio totius universalis; sit tribus modis, nempe cum datur divisio *subjecti in accidentia*, id est, cum membra dividentia sunt accidentia inferiorum

otum rei divisæ, v. g. si dicas: *Animalium aliud est rectum, aliud pronum.* 2. cum datur divisio *accidentis in subjecta*, id est, cum partes subjectæ divisi accidunt membris dividentibus, ut si dicas: *Eorũ, quæ moventur, aliud est cœlum, alia sunt elementa, alia mixta.*

208. Fit denique 3. quando divisio est *accidentis in accidentia*, sive cum membra dividentia accidunt partibus subjectis rei, cui accidit divisum, ut si dicas: *Albornm quædam dura sunt, quædam mollia, alia liquentia.* Hic membra divisionis sunt accidentia, v. g. marmoris, adipis, & lactis, quæ sunt partes subjectæ corporis mixti, cui accidit divisum, utpote *Album.*

209. Neque hinc sequitur, quod hæc divisio: *Colorum aliud est album, aliud nigrum, aliud medio colore infectum*, sit divisio per accidens; nam licet membra dividentia, videlicet *Album*, & *nigrum*, accidant partibus subjectis corporis mixti, cui accidit divisum, nempe *colorum*; attamen non sunt partes per accidens, sed per se illi subjectæ, ut species generi; quod repugnat divisioni per accidens.

INCIDENS DIFFICULTAS.

210. Rogabis, quot sint leges rectæ divisionis? Quatuor duntaxat tradit P. Fonseca. 1. Inter membra divisionis

diuisum non minus, nec latius pateat membris dividentibus simul sumptis; nec è contra: quia totum nihil aliud est, quam omnes partes. At diuisum debet latius patere quolibet membro dividente, sive plus aliquid continere; cum totum semper sit maius sua parte, ut est evidens.

211. Lex 2. est, ut diuisio fiat in proxima membra, nisi hæc sint ignota. Sic non bene dividitur corpus animatum in hominem, bestiam, arborem, &c. transiliendo duo genera immediata, animal, & plantam. Lex 3. ut diuisio semper fiat in membra positiva, & non per negationem: nam diuisio inventa est ad explicandam rei essentiam; hoc autem non bene fit per negationem.

212. Tribus de causis, ut monet P. Fons. supra citatus c. 12, cogimur interdum dividere rem in unam partem, & in negationem ipsius: 1. ut convincatur diuisionem esse adæquatam. 2. quia sæpe membrum aliquod caret nomine positivo: sic dividimus substantiam in corpoream, & incorpoream. 3. si partes diuisionis sint plures, quam perspicuitas diuisionis ferre possit.

213. Quarta lex est, ut membra dividentia saltem ratione sint opposita, id est, ut nullum in alio, vel sub alio contineatur. Scies tamen dupliciter rem posse includi in alio: 1. tanquam in medio ad participandum diuisum. 2. ut compartem illius; sed ratione sui participat diuisum.

Unde sola prima inclusio officit; ut v.g. dicas: *Animal aliud est homo, aliud rationale*: non ita hæc: *Substantia alia est completa, alia incompleta.*

DILUUNTUR OBJECTIONES.

214. ARg. 1. Hæc divisio est bona: *Alborum quædam dura sunt, quædam mollia, alia liquentia*: & tamen membra omnia simul sumpta latius patent, quam *album*; cum dicantur de rebus etiam atris, v. g. de pice, & atramento: ergo non stat lex 1. Resp. neg. min: quia si in unoquoque membro subintelligas *album*, ut debet, non latius patent album durum, album molle, & album liquens, atque album.

215. Arg. 2. Hæc divisio: *Bonorum quædam utilia sunt, alia honesta, alia jucunda*: approbatur à Philosophis: & tamen membra divisionis non sunt opposita; siquidem eadem actio esse potest & utilis, & honesta, & jucunda: ergo non subsistit 4. lex. Resp. neg. min: quia licet de eadem re dici possint, una pars subjecta non est formaliter alia, in qua ratione opponuntur.

216. Inst. Saltem nulla datur membrorum repugnantia in hac Pythagoræ divisione: *Confluentium ad ludos Græciæ alii spe victoriæ, alii quæstus faciendi cupiditate, alii visendi studio allicebantur*: siquidem fieri potuit, ut multi omnium studio ducerentur: ergo. Resp. neg. antec.

quia ibi attenditur ad sensum, & non ad verba: & in quolibet membro subintelligitur particula *solum*, ut si dicas v.g. *solum spe victoriæ*; proindeque ibi datur repugnantia.

217. Ex dictis infertur 1. de quocunque affirmatur aliquod membrum dividens, posse affirmari divisum: & de quocunque affirmatur divisum, posse affirmari membrum dividens, saltem sub disjunctione. Infertur 2. de quocunque negatur divisum, negari etiam quodlibet membrum dividens: non tamen è converso, v.g: *Non est homo: ergo neque animal.*

218. Infertur 3. de quocunque affirmetur divisum, & negetur unum membrum divisionis, debere affirmari aliud, si duo tantum sint: si vero sint plura, semper ultimum affirmandum est, negatis aliis. Infertur 4. quando affirmatur unum membrum, negari posse alia, saltem sub ipsa ratione, qua ea res participat divisum, ut si dicas: *Est honesta*: valet dicere: *ergo non est delectabilis sub ea ratione honestatis.*

SECTIO TERTIA.

De Affectionibus terminorum.

PLures sunt termini proprietates, sive affectiones, quæ illi ratione suæ significationis conveniunt: hæ à Dialecticis *Suppositio, Status,*

tus, Distractio, Ampliatio, Restrictio, & Appellatio vocantur. Illis de agere operæ pretium ducimus: siquidem omnium, qui bene institui volent, juvabunt studia, ut declinentur cavillationes; facile enim, qui nescjunt, quid suo loco valeant termini, circumveniuntur. Quare sit

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit suppositio?

219. DEfinitur suppositio formalis à P. Fons. 8. Instit. c. 2. in hunc modum: *Acceptio nominis pro re, quam significat.* Particula *Acceptio* idem est, atque usus nominis generaliter accepti pro quacunque re, quam quomodocumque significat, sive proprie, ut *Leo leonem*; sive improprie, ut *Agnus innocentem*; sive immediate, ut *Homo hominem*; sive mediate, ut *Equus Bucephalum*; sive formaliter, ut *Albū albedinem*, &c.

220. Per particulā *Nominis* intellige quodcunque categorema; item nomina adjectiva, casus nominum, & etiam verba cujuscunque temporis. Vocabulo *rei*, quam nomen significat, denotatur quacunque res significata, sive sit realis, sive ficta, sive existat, sive non existat.

221. Tria obiter advertit. P. Fons. 1. potius debere dici: *Terminus supponitur pro his re-*

Digitized by Google

quá *supponit*. 2. suppositionem habere locum, ubicumque nomen accipiatur pro re, quam significat, & non in sola propositione. 3. non opus esse, quod nomen pro re suppositum de ipsa verificetur, mediante copula propositionis, ut in hac: *Adamus est*.

222. Admittitur etiam suppositio *Materialis*, quæ definitur: *Acceptio vocis pro se ipsa, modo se ipsam non significet*. Hæc datur in subjecto harum propositionum: *Homo est nomen*: *Blictri est vox*: quia utraque vox accipitur pro se ipsa, esto *Homo* aliud significet. At prædicatum utriusque propositionis accipitur formaliter ob rationem oppositam.

223. Dixi: *Modo se ipsam non significet*: quia aliter suppositio erit formalis, ut visitur in hac propositione: *Nomen est vox*: quia dictio *Nomen*, cum sit imposita omnibus nominibus significandis, & ipsa sit nomen, etiá significat se ipsam. Eadem currit doctrina in dictionibus *vox*, & *sonus*, aliisve similibus.

DIVIDITUR SUPPOSITIO.

224. VAria sunt genera suppositionis. Formalis: una est propria, alia impropria. Prior datur, cum terminus supponitur pro re, quam proprie significat, ut vox *leo* in hac propositione: *Leo est animal*. Posterior est,

cum

cum terminus supponitur pro re, quam impropriè significat, ut si dicas: *Paulus est Nero*, id est, crudelis.

215. Propria subdividitur in communem, & singularem. Prima est: *Acceptio nominis communis pro suo significato, aut significatis*, ut visitur in subjecto harum propositionum: *Omnis homo est mendax: Homo est præcipua species animalis.* Secunda est: *Acceptio nominis pro una tantum re singulari*, ut accipitur subjectum hujus propositionis: *Salomon fuit sapientissimus.*

216. Quæres obiter 1. an suppositio conveniat tam subjecto, quam prædicato? Affirmandum: quia in hac propositione: *Petrus est homo*: tam subjectum, quam prædicatum supponuntur pro re significata: ideo enim est vera ea propositio; quia *Petrus* accipitur pro re, de qua verificatur significatum nominis *Homo*, nempe natura humana.

217. Stabilitur: quia syllogismi in 1. figura aliquando non colligunt; quia variatur suppositio medii termini cum extremis: medium autem in ea figura est subjectum in una præmissa, & in altera prædicatum. Si Dialectici solum dicunt propositionem esse de subjecto non supposito: per hoc solum denotant suppositionem prius cõvenire subjecto, quod prius concipitur.

218. Quæres 2. an detur suppositio etiam in conceptibus formalibus? Vera est resolutio affir-

firmativa. Prob: quia actus, qui potuit esse verus, modo est falsus, v. g. *Petrus legit*: sed ideo est, quia supponit pro instanti determinato, pro quo non exititit lectio in Petro: ergo. Firmatur: quia suppositio est proprietas termini, & talis est conceptus.

229. Quæres 3. an omne nomen singulare admittat suppositionem discretam, sive singularem? Asserimus, modo nomen non accipiatur materialiter: quia tunc datur acceptio nominis pro re individua, in quo consistit suppositio singularis. Idem erit, si nomen communè, & demonstrativum ponantur vice illius, ut in hac propositione: *Hic puer est bonæ indolis.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Quotuplex sit species suppositionis communis?

230. Suppositio communis dividitur in adæquatam Simplicem, Absolutam, & Personalem. Ita P. Fonf. supra citatus c. 24. & alii. Prob: quia recta divisio fit in membra opposita: sed ita se habent hic membra divisionis, ut patebit ex illorum definitionibus infra ponendis: ergo. Quod divisio sit adæquata, constabit ex solutione argumentorum.

231. Definitur suppositio simplex: *Acceptio nominis communis præcisè pro suo immediato* signifi-

significato. Hoc modo accipitur subjectum hujus propositionis: *Homo est species*: quia terminus *Homo* significat immediate naturam humanã, quasi præcisam à singularibus, & pro ea supponitur, & non pro singularibus, quæ mediate significat.

232. Hoc genus suppositionis dignoscitur tribus documentis: 1. cum terminus non afficitur aliquo signo universali, aut particulari, ut *Nullum animal*: quia tunc accipitur pro mediatis. 2. si de ipso affirmetur aliquod ex his nominibus *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, & *Accidens*, modo servetur etiam primum documentum ob dicenda n. 236.

233. Dignoscitur 3. Si nomen commune non admittat descensum: quia descendere sub aliquo cõmuni est sumere aliquid inferius significato nominis cõmunis, cum quo copuletur id, quod vere dicebatur de nomine communi. Unde subjectum hujus propositionis: *Homo est species*: accipitur simpliciter: quia non licet descendere ad inferiora.

234. Suppositio Absoluta est: *Acceptio nominis communis pro suo immediato significato, non præcise tamen.* Hoc modo accipitur subjectum hujus propositionis: *Homo est animal*: quia non sumitur præcise pro homine communi, sed absolute spectato, qua ratione in singulis reperitur; & sensus est non de singularibus, nec solum homi-

minem communem esse animal.

235. Ad agnoscendam hanc suppositionem ista sunt observanda: 1. nullum nomen, quod accipitur simpliciter, sumitur absolute. 2. Omne nomen, sub quolibet descendere, accipitur absolute, modo nullo notetur signo, præsertim particulari, ut si dicas: *Quoddam animal est species infima*: quia tunc subjectum *Animal* non potest accipi pro suo significato immediato.

236. Personalis suppositio est: *Acceptio nominis communis pro suis mediatis significatis*. Hoc modo supponitur *Animal* in propositione proxime data, & item in his: *Omne animal sentit*, *Quoddam animal ratiocinatur*: quia accipitur pro inferioribus mediate significatis ab ipso animali: in prima tamen sumitur copulative, & disjunctive in secunda.

237. Hanc suppositionem deprehendes: 1. si nomen commune non accipiatur simpliciter. 2. si nomen commune sit notatum aliquo signo universali, aut particulari. 3. si nomen commune admittat descensum: quia in quolibet ex his modis semper nomen commune accipitur pro suis significatis mediatis, ut planum erit consideranti.

ARGUMENTA CONTRARIA.

238. Reg. 3. Suppositio Absoluta,

& Personalis non sunt membra opposita; cum utraque sit acceptio pro significatis mediatis: ergo. Resp. neg. antec: quia Absoluta est acceptio etiam pro immediatis significatis, quod non habet Personalis; & in hoc habent oppositionem sufficientem, ut sint membra dividentia. Hinc tamen

239. Scies obiter suppositionem Absolutam esse mediam inter Simplicem, & Personalem convenit cum Personali, quatenus non excludit significata mediata; & cum Simplici, dum non excludit immediata. Adhuc tamen distinguitur à Personali, quia non excludit significata immediata; & dum extenditur ad mediata, differt à Simplici.

240. Arg. 2. Suppositio subjecti hujus propositionis: *Petrus est individuum subjectibile*: continetur sub toto hic diviso: sed non spectat ad aliquod ex membris dividentibus: ergo divisio non est adæquata. Resp. neg. mai: quia suppositio divisa est acceptio nominis communis, ut constat ex illius definitione, & nomen *Petrus* est singulare.

241. Inst. Non assignabitur genus, sub quo ponatur suppositio subjecti talis propositionis: ergo. Resp. neg. antec: nam ponitur sub suppositione formali, quæ dividitur in communem & singularem. Unde ea suppositio spectat ad suppositionem formalem singularem: cum sit acceptio

ceptio nominis singularis pro re singulari ob dictam n. 225.

242. Arg. 3. Suppositio simplex melius definitur: *Acceptio nominis pro re, prout subest secundis intentionibus*: & Personalis ita: *Acceptio termini pro re, prout est in se*: ergo non stant supradatæ definitiones. Resp. neg. antec. quoad utramque partem, duce Lusitano Aristotele P. Fons., quidquid in contrariũ reclament P. Arr. & P. Oviedo.

243. Suadetur ratio negandi: quia nomen *Petrus* in propositione data n. 240. accipitur pro re, prout subest secundæ intentioni, nimirum rationi *individui subjicibilis*; & tamen non accipitur simpliciter. Item suppositio Personalis stat cum eo, quod nomen accipiatur pro re communi, ut patet ex dictis n. 236. ergo non sunt probandæ tales definitiones.

244. Arg. 4. pro P. Suar. Lusit. Suppositio simplex est: *Acceptio nominis pro re communi qua communi*: Personalis vero: *Acceptio nominis communis pro individuo, vel singularibus*: & Absoluta in hunc modum: *Acceptio nominis pro suo significato absolute*: id est, non qua communi, nec qua singulari: ergo hæ sunt præferendæ aliis, cum sint clariores.

245. Resp. neg. antec: quia potest terminus accipi simpliciter, quin supponatur pro re communi qua communi. Patet hoc in subjecto

huius

hujus propositionis veræ, posita abstractione hominis à singularibus: *Homo est cognitus*; quod accipitur simpliciter, cum ibi non detur descensus: & tamen ibi non sumitur *homo* communis qua communis; siquidem cognitio potest non esse reflexa.

246. Arg. 5. Non datur ratio cõmunis objective præcisa, quam immediate significet nomen *Homo*: sed nos id supponimus: ergo nõ stant hactenus traditæ definitiones. Resp. data gratis mai. neg. min: quia ad id satis est ratio communis secundum expressionem. Dixi: *data gratis mai*: quia contrarium docuimus sequentes ingeniosissimam RR. doctrinam.

247. Arg. 6. Suppositio Personalis, ut sonat nominis etymon, ita dicitur; quia semper est acceptio nominis pro re singulari; ergo rejicienda est illius definitio supra data; cum, ea stante, possit dari acceptio pro re communi. Resp. neg. antec: ita enim nuncupatur, ut ait P. Fonsi; quia præcipuæ res, pro quibus nomen hoc suppositionis genere accipitur, sunt res singulares; & non quia ita semper accidat.

OBVIA DIFFICULTAS.

Quid, & quotuplex sit Ascensus, & Descensus.

248. Dico 1. Ascensus, sive Inductio est:

est: *Argumentatio, in qua ex particularibus sufficienter numeratis infertur aliquid universale*, v. g. si dicas: *Hic homo discurrit, & iste, & ille, & sic de ceteris: ergo omnis homo est discursivus.* Dicitur: *sufficienter numeratis*: quia omnia debent numerari: aliter fallit conclusio. Ita P. Oviedo, Arr. & alii.

249. Dico 2. Descensus, sive Reductio est: *Argumentatio, in qua ex universali particularia colliguntur*, ut si dicas: *Omnis homo est albus: ergo etiam hic, & iste, & ille, &c.* Descensus etiam dicitur explicatio suppositionis nominis communis: ea de causa aperiamus illius pluralitatem, ut explicetur divisio suppositionis Personalis.

250. Dico 3. Quadruplex est Descensus, nempe *Copulativus, Copulatus, Disjunctivus, & Disjunctus.* Copulativus fit per particulam & copulative acceptam, id est, jungentem diversas propositiones, ut si explices suppositionem subjecti hujus propositionis: *Omnis homo est animal*, hoc pacto: *Hic homo est animal, & hic homo est animal*, & sic de aliis.

251. Copulatus fit per eandem particulam copulatim acceptam, id est, dum conjunctio & annectit diversas partes unius termini intra eandem propositionem, & non integras propositiones, ut si in hac: *Omnia elementa sunt quatuor*: sic exponas suppositionem subjecti: *Hoc elementum, & hoc, & istud, & illud sunt quatuor.*

252. Dis-

252. Disjunctivus fit per particulam *vel* disjunctive sumptam, sive quando haec disjungit diversas propositiones, ut si in hac: *Aliquis homo est justus*: sic explices subjectum illius: *Hic homo est justus, vel ille homo est justus*, & sic de caeteris. Idem erit in hac: *Quidam homo non est justus*: si ita exponas: *Hic homo non est justus, vel ille homo non est*, &c.

253. Disjunctus fit etiam per particulam *vel* disjunctim sumptam; ita accipitur, dum non erit partes unius termini propositionis, & non diversas propositiones, ut si explices suppositionem subjecti hujus propositionis: *Alter oculus est necessarius ad videndum*: id est, *Ad videndum necessarius est hic, vel ille oculus*. Quod dixi de particulis *&*, ac *vel*, intellige etiam de aliis, quae idem valeant.

254. Nota obiter posse dari descensum disjunctivum, ubi admittitur copulativus; non autem vice versa: quia ex omni propositione copulativa vera potest fieri disjunctiva vera: non tamen è contra. Sic si dicas: *Hic homo est albus, & ille homo est albus*, &c. vere etiam dices: *Vel hic homo est albus, vel ille homo*, &c. at contrarium poterit accidere è converso, ut satis liquet.

255. Ascensus fit totidem, & iisdem modis, quibus descensus. Copulativus fit, quando ex particularibus copulative enumeratis colligitur universale. Copulatus fit, cum ex inferi-

oribus

oribus copulatim enumeratis, colligitur universale, ut si dicas: *Hæc, & hæc, & ista, & illa persona divina sunt tres: ergo omnes personæ divinæ sunt tres.*

256. Ascensus disjunctivus fit, cum ex singularibus, mediante particula *vel*, numeratis colligimus propositionem, cujus subjectum accipiatur determinate, ut: *ergo aliquis homo legit.* Disjunctus fit, cum à singularibus per particulam *vel* numeratis colligimus propositionem de subjecto supposito indeterminate, ut: *ergo aliquis oculus requiritur ad videndum.*

257. Illud hoc loci prætereundum non est, nempe requiri ad veritatem ascensûs copulativi, quod omnes propositiones particulares sint veræ: aliter se res habet in ordine ad falsitatem; sufficit enim falsitas unius. Item ad veritatem ascensûs disjunctivi, & disjuncti, sufficit veritas unius particularis: ad falsitatem vero requiritur falsitas omnium.

QUÆSTIO TERTIA.

Quæ sint species suppositionis Personalis?

258. Suppositio Personalis dividitur in Copulatam, Distributivam, Determinatam, & Confusam. Ita plures AA. Prob: quia omnes hæ suppositiones participant ratio-

rationē communem suppositionis, & illam dividunt per speciales rationes, in quibus opponuntur: ergo. Explicantur speciales rationes uniuscujusque speciei in particulari.

259. Copulata, quæ explicatur descensu copulato, est: *Acceptio termini communis pro omnibus suis significatis simul, & pro nullo seorsim.* Hoc pacto accipitur subjectum hujus propositionis: *Omnia elementa sunt quatuor*: solum admittitur hoc genus suppositionis in numero plurali, ut patebit inductione.

260. Distributiva, quæ explicatur descensu copulativo, est: *Acceptio termini communis pro suo significato communi, & pro quolibet seorsim.* Sic accipitur subjectum hujus propositionis: *Omnis homo est animal*: idem est in prædicato hujus: *Quidam homo non est justus.* Ad agnoscendam hanc suppositionem plura tradit documenta P. Fonſ. 8. Inſt. c. 32.

261. Terminus communis distribuitur: 1. si attingatur signo universali affirmativo, ut: *Omnis homo est animal.* 2. si mediate saltem attingatur signo universali negativo, ut cernitur in prædicato hujus: *Nullus homo est lapis*: vel aliqua negatione negante, ut si dicas: *Quoddam animal non est sensus expers.*

262. Distribuitur 3. casus obliquus, sed illum terminatur vis dictionis superlativæ, aut comparativæ, vel importantis diversitatem, ut si di-

si dicas: *Homo differt a leone*, id est, *omni*. Si tamen obliquus sit ejusdem nominis, à quo incipit comparatio, vel diversitas, non omnino distribuitur, ut: *Homo est doctior homine*, id est, *aliquibus*.

263. Distribuitur 4. prædicatum, si dictio exceptiva præponatur subjecto, ut si dicas: *Tantũ omnis homo loquitur*: nam hæc convertitur in universalem affirmativã, ut: *Ergo omne, quod loquitur, est homo*: & nullus terminus distribuitur in consequente formali, qui non fuerit distributus in antecedente.

264. Suppositio Determinata, quæ explicatur descensu disjunctivo, est: *Acceptio termini communis pro aliquo ex suis significatis determinate*: ut si dicas: *Aliquis homo currit*: terminus *Homo* supponitur determinate v.g. pro Petro. Si nomen commune non accipitur disjunctive, nec etiam determinate supponitur.

265. Suppositio confusa tantum, quæ explicatur solo descensu disjuncto, est: *Acceptio termini communis pro aliquo ex suis significatis, sed indeterminate*. Hoc genus suppositionis cernitur in subjecto hujus propositionis: *Necessarius est oculus ad videndum*: neuter enim determinate acceptus est necessarius; sed vel siniſter, aut dexter.

266. Adverte omne nomen personaliter acceptum, quod sequitur hæc verba *Requiritur*, *Neces-*

Necessarium est, Debeo, Polliceor, & similia, accipi confuse tantum, ut si dicas: *Requiritur navis ad navigandum*: ibi enim sub termino *Navis* descenditur solum disjunctim. Non multum cures, an verba sint præposita, vel postposita nominibus, modo sit idem sensus utriusque collocationis verborum.

267. Addit P. Fons. supra citatus c. 31. omne prædicatum propositionis universalis affirmativæ solum accipi in sensu disjuncto: quia si prædicatum hujus: *Omnis homo est animal*: sic exponas: *Omnis homo est hoc, vel illud animal*, &c. vera erit propositio: secus vero, si ita: *Omnis homo est hoc animal, vel omnis homo est illud animal*, &c: siquidem omnes illius partes sunt falsæ.

268. Contra eam doctrinam hoc habeo: omnes partes propositionis in sensu disjuncto sunt falsæ; quia nullum animal determinate acceptum est idem cum omni homine collectim sumpto: sed etiam nullum animal indeterminate sumptum est idem cum omni homine collectim accepto: ergo utrobique currit eadem Philosophia.

NONNULLÆ SUBDIVISIONES.

269. Suppositio Personalis subdividitur in *Accidentalem*, & *Naturalem*. Prior est: *Acceptio nominis communis non pro omnibus suis significatis*. Hoc pacto accipitur *Homo*

mo in his propositionibus: *Omnis homo nunc sedet: Omnis homo justus est probus*: in prima enim sumitur pro nunc existentibus; in secunda pro iis solum, qui sunt justi.

270. Posterior est: *Acceptio nominis communis pro omnibus suis significatis*: sic *Homo* in hac propositione: *Omnis homo est animal*: accipitur pro omnibus, qui fuerunt, sunt, erunt, & esse possunt; adeoque naturaliter. Hos enim solos proprie significat nomen *Homo*; non autem fictitios, ut Faunos, nisi significatione impropria, qua hic non de agimus.

271. Suppositio Distributiva una est pro *singulis generum*, alia pro *generibus singulorum*. Prima est illa, in qua terminus communis supponitur pro omnibus suis particularibus. Hoc modo accipitur *Animal* in hac propositione: *Omne animal moritur*: explicatur enim descensu copulativo, & dicitur de quolibet animali in particulari.

272. Secunda est illa, in qua subjectū supponitur pro omnibus speciebus, & non pro omnibus individuis specierum. Sic distribuitur *Animal* in hac propositione: *Omne animal fuit in arca Noe*: explicatur descensu copulativo ita: *ex omnibus speciebus sub animali cōtentis fuit aliquod animal in arca Noe*. Unde *singula generum* dicūtur individua, & species *genera singulorum*.

273. Item suppositio Distributiva alia dicitur

citur *Accomoda*, sive cum exceptione, alia est simpliciter talis, sive absque exceptione. Prior est, in qua fit aliqua exceptio, ut visitur in propositione posita n. 272. Posterior est illa, in qua nulla exceptio intelligitur, ut in hac: *Omnis homo est animal*; sumitur enim *Homo* pro omnibus.

QUÆSTIO QUARTA.

Quid sit Status, & Distractio termini?

274. STatus est: *Acceptio termini adæquate pro iis rebus existentibus in tẽpore adsignificato per principalẽ copulam enuntiationis.* Hoc pacto accipitur per *statum* uterque terminus in hac propositione: *Sedens legit*, vel *est legens*: quia supponitur pro solis existentibus juxta differentiam copulæ implicitæ, vel explicitæ.

275. Dixi: *per principalem copulam*: quia minus principalis non est habenda pro regula hujusmodi affectionum, ut bene notat P. Fons. jam citatus c. 36; sicut etiam non reddit propositionem affirmativam, vel negativam. Copula minus principalis est v.g. illa, quæ includitur in subjecto hujus propositionis: *Sedens, qui stetit, differit.*

276. Status termini triplex est. Primus de præsenti, ut cernitur in terminis hujus propositionis

tionis: *Sedens differit.* Secundus de præterito, ut: *Qui sedebat, differebat.* Tertius de futuro, ut: *Qui sedebit, differet.* Unde pluralitas status fit juxta tres differentias temporis, quæ adsignificari possunt principali verbo enuntiationis.

277. Nota obiter statum aliter explicari in nominibus absolutis, atque in connotativis: nam absolutum debet in explicatione subjici verbo *est, fuit*, &c. mediante relativo, ut: *Homo currit*, id est, *Homo, qui est, currit.* At connotativum debet prædicari de relativo, mediante verbo, *est*, aut *fuit*, ut: *Album currit*, id est, *Quod currit, est album.*

278. Duo traduntur documenta pro agnoscenda hac nominum affectione. Prius sit: omne verbum, quod non restringitur, nec ampliatur, nec distrahitur, habet statum secundum tempus principalis copulæ. Sic verbum *sedet* in hac propositione: *Homo sedet*: accipitur adæquate pro iis, qui nunc sedent. Nomine *verbi* illud intellige, ut distinctum à nomine.

279. Posterius est: omne subjectum universalis affirmativæ, cui solum convenit prædicatum, supposita existentia, habet statum præsentis temporis. Sic subjectum hujus: *Omnis homo est albus*: accipitur adæquate pro omnibus, ac solis existentibus de præsenti: & ideo, si hi solum sint albi, concederetur propositio; secus vero, si aliter accidat.

280. Di-

280. Diſtractio eſt: *Acceptio termini pro iis tantum, quæ ſunt in aliqua differentia temporis diverſa ab ea, quam adſignificat principalis copula enuntiationis.* Sic ſubjectum hujus propoſitionis: *Cæcus videt* accipitur pro eo ſolo, qui fuit cæcus tempore præterito: & ſenſus propoſitionis eſt: *Ille qui aliquando fuit cæcus, nunc eſt videns.*

281. In ſex quaſi ſpecies, dividitur Diſtractio: nam poteſt accidere ratione temporis præteriti, vel futuri, ſi copula principalis adſignificet præſens tempus, ut ſi dicas: *Qui didicit, docet: Qui moriturus eſt, naſcitur*: in prima enim propoſitione ſubjectum accipitur ſolum pro præterito, in ſecunda pro futuro, licet copula adſignificet tempus præſens.

282. Item, ſi principalis copula adſignificet tempus præteritum, poterit Diſtractio accidere vel ratione præſentis, aut futuri, ut ſi dicas: *Qui docet, didicit: Qui moriturus eſt, natus eſt.* Si vero adſignificet tempus futurum, poterit accidere Diſtractio ratione præſentis, aut præteriti, ut ſi dicas: *Qui vivit, morietur: Qui natus eſt, morietur.*

QUÆSTIO QUINTA.

Quid ſit Ampliatio, & Reſtrictio?

283. AMpliatio eſt: *Acceptio termini pro*

pro pluribus rebus, quam continentur in differentia temporis adsignificati per principalem copulam enuntiationis. Sic terminus *Justus* in hac propositione: *Justus est Deo gratus*: supponitur pro justis temporis præsentis, præteriti, & futuri. Idcirco Ampliatio dicitur extensio à minori ad maiorem suppositionem.

284. Quadruplex est Ampliatio: 1. ad præsentia, & præterita, ut: *Sedens surgebat*, id est, *Qui sedet, aut sedebat, surgebat.* 2. ad præsentia, & futura, ut: *Vivens morietur*, id est, *Qui vivit, aut vivet, morietur.* 3. ad præterita, præsentia, & futura, ut: *Natus morietur*, id est, *Qui natus est, aut nascitur, aut nascetur, morietur.*

285. Fit 4. Ampliatio termini ad præterita, præsentia, futura, & possibilia, ut si dicas: *Omnis homo est animal*, id est, *Omnis homo, qui est, aut fuit, aut futurus est, aut esse potest, est animal.* In omnibus ampliationibus semper nomen commune accipitur disjunctim respective ad differentias temporis per copulam importati.

286. Sex documentis agnoscitur Ampliatio termini. Primum. Omne nomen commune, quod subjicitur verbo præteriti temporis adjective sumpto, ampliatur ad præterita, & præsentia, ut si dicas: *Templum ædificatum est*, id est, *Templum, quod fuit, aut est, ædificatum est.* Signanter addidi: *adjective sumpto*, ob inferius dicenda n. 290.

287. Se-

287. Secundum. Omne nomen, quod subjicitur verbo adjectivo futuri temporis, ampliatur ad futura, & præsentia, ut: *Vir adolescet*: id est, *Qui est, aut erit vir, adolescet.* Item si dicas: *Puer senuit*, id est, *Qui est, vel fuit puer, senuit.* His duobus documentis explicantur, ut veræ, propositiones proxime datæ, quæ forsan primo aspectu haberentur falsæ.

288. Tertium. Omne nomen rei, quæ incipit esse, ampliatur ad præsentia, & futura, ut si dicas: *Motus hujus lapidis nunc incipit*, id est, *Motus hujus lapidis, qui nunc primum est, aut proxime erit, incipit nunc esse.* At nomen rei, quæ dicitur definere, ample accipitur pro præsentibus, & præteritis, ut: *Hic homo definit*, id est, *Qui nunc tandem est, aut immediate antea fuit, nunc definit.*

289. Quartum. Vocabulum propositionis necessariæ ampliatur ad res etiam possibiles, ut si dicas: *Homo est animal.* Idem est de terminis impossibilium, ut: *Homo est lapis.* Hoc documentum intellige, si aliqua dictio non impediat ampliationem, ut: *Homo, qui est, est animal*: ubi *Qui est* restringit terminum *Homo* ad solos existentes.

290. Quintum. Si verbum substantivum, aut aliud æquivalens absolute prædicatur de subjecto, hoc ampliatur etiã ad possibilia. Hinc est, quod sit falsa hæc propositio: *Omnis homo fuit, est, aut erit*: tum id falsum sit in puer possibili-

possibilibus. Secus res erit, si verbum *est* sumatur adjective, ut si dicas: *Omnis senex fuit puer.*

291. Sextum. Subjecta propositionum negantium ampliantur etiam ad possibilia, ut: *Quidam homo non sedet.* Neque hinc sequuntur duæ contradicentes veræ, licet hæc sit vera: *Omnis homo sedet:* quia subjectum primæ propositionis accipitur etiam pro possibilibus, & subjectum secundæ pro solis existentibus; ac proinde nulla est contradictio.

292. Restrictio est: *Coarctatio termini à maiori ad minorem suppositionem.* Fit variis modis: 1. additione termini adjectivi, ut si dicas: *Homo est albus*; ibi enim terminus *Homo* de se indifferens ad omnes homines restringitur ad solos albos. 2. additione termini inferioris, ut: *Homo est animal rationale.* 3. additione casûs obliqui, ut: *Pallium Petri.*

293. Limitanda est hæc doctrina: 1. dummodo utraque dictio, aut oratio sit in eodem extremo propositionis: ea de causa non restringitur supra *Homo*, sed solum *animal*. 2. non restringitur nomen, cum ratione alterius vocis additæ, solum traducitur ad significationem impropriam: tunc enim solum datur alienatio, ut si dicas: *Homo pictus est in asse*: quia tollitur propria suppositio nominis *Homo*.

294. Plura hic sunt observanda. 1. valet consequentia affirmativa à non amplo ad amplum; ut:

Digitized by Google

ut: *Est homo: ergo est animal*: non ita in consequentia negativa, ut: *Non est homo: ergo neque animal.* 2. ab amplo ad non amplum valet consequentia negativa, ut: *Non est animal: ergo neque homo*: sed non valet affirmativa, ut: *Est animal: ergo est homo.*

295. Observandum 3. à non restricto ad restrictum valere consequentiam negativam, sed non affirmativam; è contravero a restricto ad non restrictum valet consequentia affirmativa, sed non negativa. Totum patet in propositionibus proxime datis numero antecedenti; iidem enim sunt modi arguendi in ampliationibus, atque in terminis restrictis, vel non restrictis.

QUÆSTIO SEXTA.

Explicatur, quid sit Appellatio?

296. ULtima proprietas termini dicitur Appellatio, quæ est: *Denominatio, quâ una dictio aliam denominat.* Unde ipsum denominare est appellare: terminus denominans dicitur *Appellans*; denominatus vero dicitur *Appellatus.* Dictio appellans semper est adjectiva, vel quasi adjectiva; appellatus vero est substantiva, aut velut substantiva, & in hoc differunt inter se.

297. De dictione adjectiva, & substantiva sit

sit exemplum hæc propositio: *Socrates est bonus Cytharedus*: ubi *Bonus* appellat terminum *Cytharedus*, & *Cytharedus* dictione *Socrates*: quia *Bonus* denominat Cytharædum, & *Cytharedus* Socratem. De iis dictionibus, quarum altera est velut adjectiva, & altera velut substantiva.

298. Pro exemplo sit hæc propositio: *Paulus est egregie doctus*: nam adverbium *egregie* non est adjectivum, nec nomen *Doctus* est substantivum: sed illud dicitur quasi adjectivum; quia denominat aliud: hoc vero est quasi substantivum; quia denominatur. Præterea prædicatum semper est terminus appellans, & subjectum dictio appellata.

299. Dictio appellans, & appellata differũt in eo, quod prima semper accipiatur pro formali significato, ut cernitur in exemplo proxime dato: secundavero interdum accipiatur secundũ formale, & aliquando secundum materiale, ut: *Hic Cytharedus est bonus*: ubi *Bonus* solum denominat personam, & non artem pulsandi: sensus enim est, quod sit bonus virtute, non arte.

300. Pro cognoscenda Appellatione tria sunt documenta. Primum. Si ex parte subjecti sint duo termini, unus substantivus, & alter adjectivus, tunc prædicatum solum appellat substantivum. Quare in hac propositione: *Petrus magnus est Philosophus*: prædicatum *Philosophus* non appellat supra *magnum*, sed supra *Petrum*.

301. Ex-

301. Excipe 1. nisi prædicatum conveniat subjecto ratione adjectivi, ut si dicas: *Homo sanctus est amicus Dei.* Excipe 2. nisi significet accidens rationis: quia si dicas: *Homo communis est species*: prædicatum appellat formale, & non materiale, videlicet adjectivum, & non substantivum nude sumptum.

302. Secundum. Si vox adjectiva, aut quasi adjectiva, sit ante substantivam, vel quasi substantivam in eodem extremo, tunc appellat formale illius significatum, ut: *Hic homo est bonus pictor*, id est, secundum artem pingendi. Itē terminus *Factus* in hac propositione: *Christus est factus homo*: appellat supra naturam humanam.

303. Dixi: *Ante substantivum*: quia si ponatur post substantivam, poterit appellare solum materiale significatum. Ideo stando vi verborum, negatur hæc propositio: *Christus est homo factus*: quia adjectivum *Factus* videtur appellare materiale significatum vocis *Homo*, nempe *Verbum Divinum.*

304 Neque obstant verba illa ex symbolo Nicæno: *Et homo factus est*; in quibus verbum *Factus* ponitur post terminum *Homo*: quia verba sunt redigenda in formam propositionis hoc pacto: *& est factus homo*: vel in hunc modum: *Et factus est homo.* Vel dic hanc regulam quoad ordinem dictionum non semper observari, sed maxima ex parte, ut ait P. Fons.

305. Ter-

305. Tertium: Voces significantes actum intentionalem appellant formale significatum illarum, ad quas tendunt, ut si dicas: *Cognosco loquentem*, id est, loquentem ut loquentem. Neque scrupulose observanda est conditio, quam aliqui addunt; nimirum, quod eæ voces semper antecedant alias, in quas feruntur, ut nuper diximus n. 302.

306. Nota obiter 1. variatione appellationis, sicut & suppositionis, vitiari consequentiam. Sic ex hoc antecedente: *Petrus albus est monachus*: non bene infertur: *ergo Petrus est monachus albus*: quia mutatur appellatio: *Albus* enim in antecedente appellat supra Petrum, & indicat, quod sit albus corpore; & in consequente significat, quod sit albus veste, & habitu.

307. Nota 2. Nomen connotativum, licet sit nomen substantivum, dici quasi adjectivum respectu connotati, ut cernitur in hac propositione: *Homo est species*. Nota 3. prædicatum in hac: *Homo sedet*: appellare materiale significatum, qualia dici possunt mediata significata vocis *Homo* respectu significati immediati.

DISPUTATIO SECUNDA.

De materia proxima Syllogismi.

SYllogismus absolutus, de quo in præsenti loqui-

loquimur, habet pro materia proxima propositionem absolutam, sive de inesse, ut aiunt politiores Summulistæ: in eâ aperiendâ absolvetur integra disputatio: de modalibus enim alibi differemus.

SECTIO PRIMA

De Naturâ, & divisione Propositionis.

QUÆSTIO PRIMA.

Expenditur, quid sit Propositio?

1. PRopositio definitur: *Oratio affirmativa, vel negativa alicujus de quopiam.* Ita ex Aristotele P. P. C. C. de Priori Resol. c. 1. q. 1. art. 1. Particula *Oratio* habet vicem generis, cæterum adduntur loco differentiæ propositionis in communi, quæ nomine careat; sicut in simili diximus d. 1. n. 169.

2. Arg. 1. pro P. Oviedo, Suar. Lusit. & aliis: Propositio clarius definitur: *Oratio dictiva alicujus de quopiam*: ex ipsis enim terminis patet, quid sit, dici unum de alio: ergo. Resp. neg. ant. nec: quia ut particula *Dictiva* explicetur, recurrendum est ad disjunctivam, videlicet *Affirmativa, vel negativa*: neque enim ipsa patet ex ter-

minis.

3. Inst. Hoc loci quærimus, quid sit propositio, prout abstrahit tanquam genus ab speciebus: ergo non est definienda per illarum differentias, nempe *Affirmativum*, vel *negativum*. Resp. neg. cons: quia id solum fit defectu vocabuli, quo exprimatur differentia essentialis. Neque eæ rationes ponuntur ut differentia, sed ut illam explicantes.

4. Arg. 2. pro P. Hurt. Propositio melius definitur: *Actus intellectûs judicativus*: ergo. Resp. neg. antec: quia hic sumitur propositio logice, ut pars syllogismi: cum vero hic constet affirmativis, vel negativis; ideo illa definitur per affirmationem, aut negationem. Unde antecedens solum est verum in sensu physico, ut fatetur etiam ipse P. Hurt.

5. Arg. 3. Propositio definitur, ut pars syllogismi: sed ad istius formam magis spectat veritas, aut falsitas, quam affirmatio, vel negatio: ergo per illas debet definiri. Resp. neg. min: quia sola affirmatio, aut negatio sunt qualitas essentialis, ratione cujus variatur syllogismus quoad figuras, & modos concludendi.

6. Arg. 4. Enuntiatio definitur essentialiter per veritatem, aut falsitatem: ergo ita erit propositio; cum inter se non differant essentialiter, & eadem entitas nequeat habere duas definitiones essentiales adæquatas. Resp. neg. antec.

ob

ob consequentiæ probationem. Unde eadem res solum habebit unam definitionem essentialem, & aliam accidentalem. Vide dicta d. 1. n. 168.

7. Arg. 5. Bona definitio debet explicare aliquid determinatum, nempe essentiam rei, quæ est determinata: sed non ita se habet ea definitio, cum tradatur per opposita disjunctive accepta, nimirum affirmativum, vel negativum: ergo. Resp. neg. min: quia ibi insinuatur ordo, ad affirmativum, vel negativum, qui est quid determinatum.

8. Arg. 6. Illa definitio non traditur per genus proximum, sed per remotum, qualis est oratio ad perfectas, & imperfectas: ergo non est bona. Resp. neg. cons: quia genus proximum solum debet poni in definitione, ut definitio recurrat cum definito, ut notat P. Fons. 5. Instit. c. 11; hoc autem habet definitio, licet tradatur per genus remotum.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quotuplex sit materia, & forma propositionis?

9. CErtum est 1. Prædicatum, & subjectum esse materiam propositionis: quia sunt illud, quod præsupponitur ad formam. Certum est 2. copulam esse formam propositionis: quia est illud, quod advenit ipsi materiæ,

teriæ, ut ultimum distinctivum propositionis. Sic ex eodem capite voces significativæ sunt materia orationis, & nexus illius forma. His positis,

10. Dico 1. Triplex est materia propositionis. Ita communiter. Prob: quia diversitas materiæ desumitur ab ordine inter prædicatum, & subjectum: sed hic est triplex: ergo etiam materia. Patet minor: quia prædicatum solum dicit ordinẽ ad subjectum necessariò, vel impossibiliter, aut contingenter.

11. Explicatur amplius: quia vel prædicatum conjungitur necessariò cum subjecto, & materia dicitur *necessaria*, ut cernitur in his propositionibus: *Homo est animal: Petrus est risibilis*: vel repugnat subjecto, & materia appellatur *repugnans*, sive *impossibilis*, ut in hac: *Homo est lapis*: vel convenit contingenter, ut: *Homo est albus*: & tunc materia propositionis appellatur *contingens*.

§ Nota obiter materiam impossibilem dici posse, si aliqua pars sit impossibilis, vel ipsæ inter se partes sint repugnantes, ut si dicas: *Petrus est lapis, & Paulus legit*. Unde propositio copulativa necessaria est, si omnes partes objecti sint necessariæ; & contingens, si aliqua saltem pars sit contingens, & nulla impossibilis. Ita P. Fonf. 3. Instit. c. 16.

12. Dices. Materia propositionis potest di-

vidi

vidi in possibilem, & impossibilem, & hæ in plures alias species: ergo vel est duplex tantum, vel non solum triplex. Resp. neg. cons: quia hic non dividitur propositio tam generice, nec in tã particulares species, sed medio quodam modo; & ideo triplex dicitur materia propositionis.

13. Dico 2. Forma propositionis est quadruplex. Ita P. Suar. Lusit. in Log. tract. 7. à n. 105. Prob: quia forma propositionis consistit in copula: sed hæc est quadruplex: ergo etiam forma. Hic loquimur de stricta acceptione copulæ, qualis non est, quæ dicitur *expositoria*, sive *Relativa*, *Qui*, ut si dicas: *Qui loquitur, est Petrus.*

14. Ostenditur minor: copula alia est copulativa *&*, ut: *Petrus, & Paulus currit*: alia disjunctiva *vel*, ut: *Petrus, vel Paulus legit*: deinde una est causalis *Quia*, ut: *Quia Petrus currit, movetur*: & altera est conditionalis *si*, ut si dicas: *Si sol lucet, dies est*: & huc revocantur, quæcunque aliæ à Logicis assignentur.

15. Quæres obiter 1. quænam sit qualitas propositionis? Una est essentialis, altera accidentalis. Prior est affirmatio, & negatio, & dicuntur qualitas in sensu metaphysico; quia prædicantur in Quale. Posterior est veritas, aut falsitas; & vocatur qualitas accidentalis, licet sit aliquibus essentialis: quia quælibet manet extra conceptum primarium propositionis, vel quia subest aliis contingenter.

Digitized by Google

16. Quæres 2. Quænam sit quantitas propositionis? Est extensio subjecti ad suum significatum, vel ad sua significata, ut ait P. Oviedo: vel dic cum P.P. C.C. c. 1. de Propos. q. 1. artic. 2. quantitatem propositionis esse extensionem, aut unitatem numeralem rerum, pro quibus subjectum sub prædicato accipitur.

17. Declaratur hæc doctrina: dicitur *extensio*: quia interdum sumitur pro omnibus, ut: *Omnis homo est risibilis*: interdum pro aliquibus disjunctive, ut: *Aliquis homo est Philosophus*. Dicitur etiam: *Aut unitas numeralis rerum*: quia nonnunquam usurpatur pro uno tantum, ut: *Hic homo est Philosophus*.

QUÆSTIO TERTIA.

Quotuplex sit Propositio?

18. PRopositio sumpta secundum materiam dividitur in necessariam, impossibilem, & contingentem: quia propositiones hoc modo sumptæ distinguuntur per diversum ordinem, quem inter se habent prædicatum, & subjectum: hic autem est triplex, ut supra diximus à n. 10. Necessaria subdividitur in essentialem, & non essentialem, sive pure necessariam.

19. Propositio secundum formam dividi-

tur

tur in copulativam, disjunctivam, cauſalem, & conditionalem: quia propoſitiones ita conſideratæ multiplicantur ad pluralitatem formarum; ſed forma conſiſtens in copula eſt quadruplex, nimirum: *Et, vel, Quia, ſi*, ut ſupra numeravimus: ergo tot erunt propoſitiones.

20. Propoſitio ratione qualitatis exacte dividitur 1. in affirmativam, & negativam: quia ſic exhauritur diviſum: nulla enim aſſignabitur propoſitio; quæ non affirmet, aut neget: ſi affirmet, erit affirmativa; & negativa, ſi neget. Hæc membra opponuntur: quia eadem propoſitio non poteſt affirmare, & negare idem de eodem.

21. Neque obſtat, quod copula *eſt* ſit forma utriuſque propoſitionis: quia diverſo modo ſumitur in una, atque in alia: in affirmativa enim ſumitur ſecundũ ſe, ut cum dicimus: *Petrus eſt albus*; at in negativa ſumitur ut affecta negatione, ut: *Petrus non eſt albus*: ſive potius in affirmativâ eſt conjunctio, & in negativâ diviſio extremorum.

22. Dividitur 2. Propoſitio ratione qualitatis in veram, & falſam. Hæc diviſio eſt adæquata; quia nulla datur propoſitio, quæ ſub aliqua ex his non contineatur. Si propoſitio modo vera, poteſt poſtea eſſe falſa; nihil obſtat: ſolum enim probat diviſionem eſſe accidentalem, ſive in membra accidentaliter tantum oppoſita.

23. Si propoſitio ſpectetur ſecundũ quan-

titatem, dividitur in universalem, particularem, indefinitam, & singularem. Universalis est illa, cujus subjectum est terminus cōmunis affectus signo universali, ut: *Omnis homo est animal.* Particularis est, cujus subjectum est terminus communis affectus signo particulari, ut: *Aliquis homo currit.*

24. Indefinita dicitur illa, cujus subjectum est terminus communis nullo signo affectus, ut: *Homo est animal.* Unde nomen indefinitæ merita est; quia nulla certa quantitate circunscribitur. Singularis est illa, cujus terminus est singularis, vel communis, sed affectus signo demonstrativo, ut: *Petrus currit*; vel: *Hic homo currit.*

25. Signanter dixi: *Cujus subjectum*: quia signa posita ex parte prædicati non constituunt propositionem quantam, id est, universalem, aut particularem. Ideo hæc: *Petrus est omnis homo*: est singularis: & idem est in hac: *Petrus est aliquis homo*: quia signa tenent se ex parte prædicati, & non subjecti.

26. Adverte obiter propositiones, quarum subjecta sumantur præcise pro significatis communibus, reduci ad singulares, ut bene notat P. Fonf. 3. Inst. c. 5. quia subjecta propositionum universalium, & particularium sumuntur pro pluribus; & idem est de subjectis indefinitarum, saltem per æquipollentiam: hoc autem non habent aliæ, si subjecta accipiantur præcise pro rebus

rebus cõmunibus, ut: *Homo est species.*

DUBIUM INCIDENS.

27. DUbitabis, quænam sint signa universalia, & particularia? Signa universalia aut sunt omnino universalia, ut *Omnis, Nullus, Quilibet*, aut ad certum usque numerum, ut *Uterque, Neuter*, & siqua similia. Signa particularia vel sunt absolute talia, ut *Quidam, Aliquis*, vel ex certo numero, ut *Alter*. Adhuc tamen

§ Observa 1. signa absolute universalia, præposita negatione, fieri particularia; & absolute particularia, eâdem negatione præfixa, fieri universalia. Nam *Non omnis*, & *Nonnullus* sunt particularia: *Non quidam* autem, & *Non aliquis* sunt universalia. Universalia distribuunt terminum, quem afficiunt; non ita particularia.

28. Observa 2. ad quantitatem propositionis nihil referre quantitatem casûs obliqui, quanvis hic se habeat ex parte subjecti. Hinc est, quòd hæc propositio: *Aliquis equus omnium hominum currit*: sit particularis; & hæc universalis: *Omnis equus Petri currit*. Qui plura velit, curiosus adeat P. Oviedo in sumul. contr. 3. pun. 3. à n. 4.

* * *
* *

QUÆSTIO QUARTA.

Quid sit Propositio Categorica, & Hypothetica?

29. REsolvo 1. Propositio categorica est: *Illa, quæ independenter ab aliqua conditione prædicat suum prædicatum.* Ita P. Suar. Lusit. in Log. tract. 7. à n. 116. cum pluribus aliis. Prob: quia hæc propositio ita dicitur à *Categoria*, quæ significat quid absolutum: ergo propositio categorica est prædicatio absoluta, sive independens à conditione.

30. Resolvo 2. Propositio Hypothetica est: *Illa, quæ dependenter ab aliqua conditione prædicat suum prædicatum.* Ita cum aliis idem P. Suar. Lusit. Prob: quia propositio Hypothetica ita nuncupatur ab *hypothesi*; sed hypothesis idē est, atque conditio: ergo. Firmatur: quia hæc propositio differt à Categorica per particulam conditionalem *si*: ergo &c.

31. Ex hac doctrina intelliges 1. propositionem absolutam idem esse, atque categoricam; cum sit enuntiatio unius de alio independenter à conditione. Intelliges 2. propositionem complexam, v.g. *Petrus dormit, & Paulus legit* ex eodem capite non recurrere cū conditionali, quidquid contradicat P. Arr. in Log. d. 2. sect. 3.

32. Intelliges 3. propositiones conjunctas con-

conditionales dici affirmativas, vel negativas ob affirmatam, vel negatam conditionem: idcirco hæ: *Si sol lucet, dies est: Si sol non lucet, non est dies*: sunt affirmativæ: hæ autem: *Non si sol lucet, nox est: Non si sol non lucet, nox non est*: sunt negativæ.

33. Intelliges 4. propositionem causalem, v. g. *Quia sol lucet, dies est* non esse numerandam inter hypotheticas: quia in illa existentia prædicati absolute enuntiatur, ut ait P. Oviedo supra citatus pun. 4. n. 8. Intelliges 5. non esse audiendos, qui dicunt propositionem conjunctam posse appellari hypotheticã: nam licet una propositio simplex præsupponatur ad aliam; hæc suppositio in re non est hypothesis.

NONNULLÆ SUBDIVISIONES.

34. SUbdivitur 1. propositio absoluta in exclusivam, & non exclusivam. Hæc est, quæ non constat particula exclusiva, Illa est, quæ constat signo exclusivo: *Tantum, Duntaxat, Solum*, & cæteris, si quæ sunt ejusdẽ significationis. Hæc signa vel sunt exclusiva subjecti à participatione prædicati, vel alicujus prædicati à subjecto.

35. Tunc signum est exclusivum subjecti, quando ponitur ante copulam, sive sit ante, sive post subjectum, ut: *Tantum animal est sensitivũ.* Tunc est exclusivum prædicati, quando ponitur

tur post copulam, ut: *Petrus est tantum Grãmaticus*. Hinc fit, ut duo sint exclusivarum genera, quorum prius vocatur *Exclusi subjecti*, & posterius *Exclusi prædicati*.

36. Subdividitur 2. in Exceptivam, & non Exceptivam. Posterior dicitur, quæ non constat particula excipiente, ut *Præter*, *Præterquã*, *Nisi*. Prior est, quæ constat aliqua ex his particulis, ut: *Omnis homo præter Petrum est albus*. Hæ particulæ excipiunt à principali prædicato illum terminum, cui adduntur. Hinc

37. Nota obiter 1. cum P. Fons. 3. Instit. c. 26. propositiones rigorosè exceptivas esse illas, in quibus terminus, à quo fit exceptio, notatur signo universali; & deinde continet sub se exceptum: quia excipere est à toto partem detrahere. Unde hæc propositio: *Omnis homo præter leonem currit*: non est exceptiva in sensu stricto.

38. Nota 2. Solas eas propositiones dici hoc loco exceptivas, in quibus id, à quo fit exceptio, vere affirmatur de re excepta. Hinc fit, quod sit inepta hæc propositio: *Omnis homo præter belluam est rationis particeps*. Multa alia, eaque utiliora circa formulas exponendi exclusivas, & exceptivas, dabimus infra à n. 174.

39. Propositio subdividitur 3. in Specificativam, & Reduplicativam. Prima est, quæ aliquid enuntiat absque reduplicatione, ut: *Ignis*

cremat,

cremat. Secunda est, quæ habet terminum reduplicantem, vel reduplicatum, ut: *Homo qua rationalis discurrit.* At dictio debet reduplicare supra causam, ut fit in propositione proxime data.

40. Dixi: *Supra causam*: quia aliter erit specificativa, si solum reduplicet supra conditionem, ut: *Ignis quà aproximatus cremat.* Reduplicatio fit ex parte subjecti, ut: *Homo ut homo est rationalis*: vel ex parte prædicati, ut: *Homo est discursivus in quantum rationalis.* Signa reduplicantia sunt: *Ut, prout, quatenus, in quantum*, &c.

41. Subdividitur 4. propositio in Reflexivam, & non Reflexivam. Reflexiva est illa, quæ de se expresse aliquid affirmat, aut negat, ut: *Petrus est homo, & ego sum propositio vera:* è contra vero non Reflexiva, ut: *Petrus est homo.* Parco aliis subdivisionibus: etenim in iis explicandis non est compendii diutius immorari.

SECTIO SECUNDA.

De Consecutione, & consequentia propositionis.

42. AD meliorem intelligentiam tradendæ doctrinæ sciendum est 1. propositiones alias dici finitas, & alias infinitas. Priores sunt, quæ nihil habent infinitum, ut: *Homo est justus: Homo non est doctus.* Posteriores sunt, quæ habent subjectum, aut prædicatum,

aut

aut utrunque infinitum, ut: *Homo eſt non juſtus: Non homo eſt non animal.*

43. Sciendum 2. propoſitiones vel eſſe de extremo conjuncto, vel de ſimplici, ſive diviſo. Primæ ſunt, quarum ſubjectum, aut prædicatum, aut utrumque conflatur ex multis conjunctis: *Petrus eſt homo ſapiens: Petrus juſtus eſt amicus Dei.* Secundæ ſunt, quæ nihil habent conjunctum, ut: *Petrus eſt prudens.* His poſitis, ſit

QUÆSTIO PRIMA.

Quomodo infinitis, & infinitis valeat conſecutio?

44. REſolvo 1. Ex propoſitione negativa de prædicato finito colligitur affirmativa de prædicato infinito. Ita ex Ariſtot. P.P. C.C. 2. de Interp. c. 1. q. unica art. 1. Prób: quia ex duobus contradictoriis unum vere affirmatur, ſi negetur aliud: ſed vere negatur de Æthiope, quod ſit albus: ergo vere dicetur, quod ſit non albus: ergo.

45. Stabilitur amplius: quia ſi ex hac: *Æthiops non eſt albus* non colligitur hæc: *Æthiops eſt non albus*, ſequetur iſta: *Æthiops eſt albus*: ſed hæc non colligitur, cum ſit contradictoria primæ: aliter duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ; quod repugnat juxta inferius dicenda à n. 150. ergo colligitur alia de prædicato infinito.

46. Qua-

46. Quatuor sunt observanda, ut hæc doctrina vim habeat. Primum, ne ex negativa particulari inferatur universalis; neque enim ex hac: *Aliquod animal non est homo*: sequitur: *ergo omne animal est non homo*. Secundum, ut prædicatum negativæ sit simplex: ex hac enim de prædicato complexo: *Socrates non est homo volans* non infertur: *ergo Socrates est non homo volans*, id est, aliquid volatile.

47. Tertium, ne habeat propositio negativa particulam reduplicativam, v. g. *Quatenus, per se, & secundum se*, & similes: nam falsa erit consecutio: ut in hac: *Homo quatenus homo non est albus: ergo homo quatenus homo est non albus*: quia homo secundum se neque exigit, neque excludit albedinem, sed est indifferens ad utrumque.

48. Quartum, ne propositio sit de subjecto non suppositio, sive non supponente. Ex hac enim propositione vera: *Adamus non est albus*: falso infertur: *ergo Adamus est non albus*: quia nullum prædicatum reale contingens potest vere affirmari de re non existente: negatio enim albedinis solum existit in subjecto capaci albedinis, quale non est subjectum non existens.

49. Dices. Ex præmissis, quarum una sit negativa, non sequitur conclusio affirmativa: ergo etiam ex propositione negativa de prædicato finito non colligitur affirmativa de prædicato infini-

infinito. Resp. neg. antec: quia potest sequi conclusio formaliter affirmativa, quæ sit æquipollenter negativa; non itavero, si secus res accidat.

50. Expenditur solutio: ex his præmissis: *Omne nigrum non est album*: *sed aliquis homo est niger*: sequitur hæc conclusio: *ergo aliquis homo non est albus*: ergo etiam hæc: *Aliquis homo est nō albus*. Nam ex quocunque sequitur antecedens, sequitur etiam consequens: secunda autem conclusio est consequens primæ juxta dicta in fundamento conclusionis.

SECUNDA RESOLUTIO.

51. REsolvo 2. Ex affirmativa de prædicato infinito sequitur negativa de prædicato finito. Ita P.P. C.C. supra citati. Prob: quia si ex hac: *Petrus est non albus*: non sequitur ista: *ergo Petrus non est albus*: sequeretur ejus contradictoria: *Petrus est albus*: sed hoc implicat; aliter de eodem subjecto affirmarentur vere hæc duo contradictoria *Album*, & *Non album*: ergo.

52. Tria hic sunt notanda. Primum, ne ex particulari inferatur universalis, ut: *Aliquod animal est non homo*: *ergo omne animal non est homo*. Secundum, ut infinitetur totum prædicatum. Defectu hujus conditionis, videnti Petro

equum,

equum, & hominem, ex hac vera: *Petrus est videns non hominem*: non bene infertur: *ergo Petrus non est videns hominem*: quia negatio solum afficit equum, & non hominem.

53. Item simili de causa ex hac vera: *In fluvio sunt non pisces*: non recte infertur: *ergo in fluvio non sunt pisces*: quia negatio *Non piscis* solū afficit v. g. lapides, & non pisces. Sic etiam ex hac vera: *Petrus potest esse nō justus*: non sequitur: *ergo Petrus non potest esse justus*: quia non infinitatur totum prædicatum *Esse justus.*

54. Tertium, ut propositio sit de subjecto possibili: nam de impossibili nonnunquam consecutio erit falsa. Si detur ens rationis constans negatione, & simul forma negata, v. g. *Rationali* ficto, vera erit hæc: *Hoc ens est non rationale*: & falso inferes: *ergo hoc ens non est rationale*: quia de subjecto supponitur esse rationale; proindeque non potest hoc de illo negari.

55. Dices. Ex hac propositione: *Adamus est non sedens*: nequit inferri hæc: *ergo Adamus non est sedens*: non enim datur maior ratio, cur non inferatur ista: *Adamus est sedens*; cum utraque sit vera respective ad diversam differentiam temporis: ergo. Resp. data prima propositione ut vera, neg. antec., & insinuatam illius probationem.

56. Suadetur ratio negandi: infertur prima propositio ob dicta in fundamento conclusionis:

non

non sequitur secunda; quia est contradictoria primæ, & termini contradictorii non possunt simul affirmari de eodem subjecto pro eadem differentia temporis præsentis, pro qua supponit utraque propositio.

57. Dixi: *Data prima propositione ut vera:* quia cum sit de subjecto non existente, & affirmetur de illo negatio contingens, est falsa ob rationem datam n. 48. Neque verbum *est* in iis propositionibus connotat æternitatem, ut aliqui volunt, sed instans præsens, ut mensuram sui significati per modum actionis: actio vero instanti nostri temporis mensuratur.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum inter divisas, & conjunctas sit mutua consecutio?

58. Dico 1. A divisis ad conjunctas valet consecutio. Ita PP. C.C. 2. de Interp. c. 2. q. unica. Prob: quia quando duæ formæ in eodem tempore vere affirmantur de eodem subjecto per diversas propositiones simplices, possunt affirmari per unam conjunctam: sed vere dicitur: *Petrus est homo: Petrus est albus*: ergo recte infertur: *Petrus est homo albus.*

59. Duæ sunt regulæ, ut pateat, quando est

est bona consecutio. Prima, ut unum ex prædicatis divisarum sit forma, vel quasi forma alterius. Hujus defectu ex his: *Petrus est bonus: Petrus est sutor*: non bene infertur: *Ergo Petrus est bonus sutor*: quia *Bonus* indicat bonitatem moralem, respectu cujus ars sutoria non est quasi forma.

60. Unde propositio conjuncta laborans hoc defectu non est de prædicato formaliter cõjuncto, sed solum in sensu materiali. Hinc fit, quod consequentia aliquando possit esse vera, licet inepta. Si ex his: *Petrus est musicus*: *Petrus est albus*: inferas: *Ergo Petrus est musicus albus*: vera erit consequentia, sed non idonea ob rationem factam.

61. Secunda. Ut unum prædicatum ex divisis non includatur formaliter in alio; nec cum illo habeat necessariam connexionem: alioquin conclusio, esto sit vera, erit nugatoria. Ex 1. capite vitiatur hæc consecutio: *Petrus est homo*: *Petrus est animal*: *ergo Petrus est homo animal*. Ex 2. capite hæc: *Petrus est homo*: *Petrus est risibilis*: *ergo Petrus est homo risibilis*. Ita sentiunt P. P. C. C.

62. Sed quid dicendum, si unum prædicatum ex divisis includatur virtualiter in alio? Non ita philosophandum est: igitur bona est consecutio ex his divisis: *Homo est animal*: *Homo est rationalis*: *ergo homo est animal rationale*. Nam de definito bene dicitur definitio constans

genere, & differentia, licet hæc sit virtualiter in genere.

63. Dico 2. A conjunctis ad divisas bene valet consecutio. Ita P.P. C.C. citati. Probat quia ex hac conjuncta: *Petrus est homo albus*: rectè deducuntur istæ divisæ: *ergo Petrus est homo*: *ergo Petrus est albus*. Requiritur tamen, ut servetur idem significatum formale termini, quod quatuor de causis variatur.

64. Variatur 1. significatum, si prædicatum conjunctæ non possit in duo dividi. Sic ex hac: *Petrus est magnus Philosophus*: non sequuntur hæ.: *ergo Petrus est magnus*: *ergo Petrus est Philosophus*: quia Petrus v.g. est staturâ pusillus; & *Magnus* in divisâ significat proceritatem corporis, & in conjunctâ extensionem Philosophiæ, quæ absque ipsa non datur.

65. Variatur 2. si prædicatum in conjunctâ, & divisâ non accipiatur in eadem suppositione. Idcirco non valet consequentia: *Hæc imago est homo pictus*: *ergo hæc imago est homo*: *ergo est picta*: quia terminus *Homo* in antecedente supponitur pro forma externa hominis, & in prima consequentia pro vero homine.

66. Variatur 3. si unum prædicatum inferat negationem alterius. Ideo ex hac: *Cadaver est homo mortuus*: inepte inferes: *ergo cadaver est homo, & est mortuus*: quia *Cadaver* infert negationem hominis, & *Homo* negationem cadaveris.

Item

Item *Homo* in conjuncta significat figuram humanam, & in divisa ipsam naturam humanam.

67. Variatur 4. si unū prædicatū dicatur dependenter ab alio. Unde ex hac: *Petrus est contingenter homo albus*: nō deduces bene: *ergo Petrus est contingenter homo*: *ergo Petrus est albus*: quia prædicatum *Contingenter homo* solum dicitur de Petro dependenter ab eo, quod sit albus.

INCIDENS DIFFICULTAS.

An propositiones de extremo cōjuncto sint necessariæ?

68. PRæsens dubium solum excitatur de propositionibus, quarū subjecta, aut prædicata sunt conjuncta ex duobus per accidens conjunctis, ut: *Petrus albus est homo*: *Petrus est homo albus*. Dixi: *Per accidens conjunctis*: quia in dubium non venit necessitas propositionis, si prædicata necessario sint conjuncta, ut: *Petrus est animal risibile*.

69. Assero 1. Propositiones de extremo contingenter conjuncto ex parte prædicati sunt contingentes. Ita P. P. C. C. cap. 4. de Orat. q. 4. art. 6. Prob. quia prædicatum in hac propositione: *Petrus est homo albus*: non habet necessariam connexionem cum Petro; licet enim hic sit essentialiter homo, est contingenter homo albus: ergo propositio est contingens.

70. Assero 2. Propositiones de extremo contingenter conjuncto ex parte subjecti sunt necessariæ. Ita A.A. communiter. Prob: quia omnis pars sumpta nomine accõmodato prædicatur necessario, imo & essentialiter de suo toto: sed ita se habet albedo in hac prædicatione: *Petrus albus est albus*: ergo ea prædicatio est necessaria.

71. Arg. 1. Ex his præmissis: *Omnis homo albus est homo: sed omnis homo albus est albus*: infertur hæc conclusio contingens: *ergo aliquis homo est albus*: sed ita non esset, si præmissæ forent necessariæ; alioquin in bona consequentia hujus syllogismi positi in *Darapti* dari posset antecedens verum, & consequens falsum: ergo.

72. Resp. neg. mai: solum enim sequitur hæc: *Ergo aliquid, quod est homo, est album*: quæ quidem est necessaria. Non sequitur alia: 1. ob rationem factam in argumento. 2. quia connexio partium cum toto non est bonum medium ad probandum connexionem partium inter se.

73. Solidatur ab exemplo: quia ex his præmissis necessariis: *Christus est homo: Christus est Deus*: non deducitur legitime ista consequentia: *Ergo Deus est homo*; sed hæc: *Ergo aliquid, quod est Deus, est homo*: aliter ex præmissis veris sequeretur conclusio falsa; quia ante Incarnationem præmissæ erant veræ, & conclusio falsa: ergo ita similiter philosophandum in casu argumenti.

menti.

74. Arg. 2. Propoſitio neceſſaria non admittit unionem contingentem: ſed in hac: *Petrus albus eſt albus*: datur unio contingens inter partes ſubjecti: ergo non eſt neceſſaria, ſed contingens. Reſp. diſting. antec: unionem contingentem inter prædicatum, & ſubjectum, conc: inter partes ſubjecti, nego mai. & conſequentiam ob dicta n. 70.

75. Inſt. Tota hæc propoſitio: *Homo irrationalis eſt animal*: eſt falſa; quia partes ſubjecti falſò conjunguntur: ergo etiam, quia partes ſubjecti contingenter uniuntur, proxime data propoſitio erit contingens. Reſp. neg. conſ: diverſitas eſt: quia in primo caſu affirmaretur prædicatum reale de ſubjecto impoſſibili; adeoque falſo. At in alio caſu adhuc prædicatum neceſſario conveniret ſubjecto: ergo.

76. Suadetur hoc amplius: quia partes habent maiorem connexionem cum toto, quam inter ſe; licet enim forma adveniat contingenter materiæ, prædicatur neceſſario de toto in hac propoſitione: *Petrus eſt formatus*: ergo prædicatum poteſt habere neceſſariam connexionem cũ ſubjecto, eſto partes ſubjecti illam non habeant inter ſe.

77. Hinc ſcies obiter 1. hanc propoſitionem: *Petrus albus eſt albus*: non æquivalere huic contingenti: *Petrus exiſtit albus, & eſt albus*: nam

hæc est complexa, utpote constans duplici nexu verbali, & verificatur dependenter ab existentia. Non ita vero alia, & est simplex; cum habeat unicum nexum verbalem.

78. Scies 2. hanc propositionem: *Homo doctus movetur*: esse de extremo materialiter tantum conjuncto; quia nulla pars subjecti de ipso enuntiatur. Unde licet sit contingens, nihil obstat: nam quæstio procedit de propositionibus, quæ constent extremo formaliter conjuncto ex parte subjecti, sive in quibus prædicatum sit pars subjecti conjuncti.

79. Arg. 3. Prædicatum necessarium habet identitatem necessariam cum subjecto: sed, destructa unione inter Petrum, & albedinem, tollitur identitas albi cum Petro albo: ergo *album* non affirmatur necessario de Petro albo, nec propositio est necessaria. Resp. neg. min: quia adhuc ibi manet identitas quoad possibilitatem, quæ sufficit ad propositionem necessariam.

80. Stabilitur solutio: 1. quia in hac propositione: *Homo albus est homo albus*: prædicatu habet identitatē necessariam cum subjecto, licet destruatur unio inter hominem, & albedinem: ergo ita similiter in casu argumenti. 2. quia de conjuncto ex Petro, & albedine affirmatur prædicatum in illo essentialiter inclusum: ergo repugnat, quòd ea identitas sit contingens.

81. Ex dictis infertur hanc propositionem:

Cycnus

Cycnus niger canit: esse falsam: quia falso supponitur subjectum existens, de quo affirmetur cantus; non enim existit cycnus niger, qui canat. Ita similiter philosophandum in hac propositione: *Corvus albus volat*: cum etiam non existat corvus albus, qui volet.

QUÆSTIO TERTIA.

Quid, & quotuplex sit consequentia?

82. DEfinitur Consequentia: *Oratio, in qua ex aliquo aliquid colligitur.* Ita P. Fonſ. 6. Inſtit. c. 1. P.P. C.C. c. 1. de Propoſit. q. 2. artic. 3. Particula *oratio* explicat convenientiam genericam conſequentiæ cum præmiſſis. Reliquæ ponuntur loco differentiæ; illa enim diſtinguitur à præmiſſis per id, quod inferatur. Hinc tamen

83. Nota 1. illud, ex quo aliquid colligitur, vocari *antecedens*; & quod colligitur, appellari *concluſionem*, tum etiam *conſequens*. Nota 2. dicendum eſſe: *Diſtinguo conſequens*; cum ſenſum faciat ambiguum: ſi vero non faciat, & negari debeat, dicendum eſt: *Nego conſequentiam*; vel: *Concedo conſequentiã*; ſi debeat concedi.

84. Conſequentia duplex eſt: bona, & vitioſa. Bona dicitur ea, in qua aliquid ex aliquo vere colligitur, ut ſi dicas: *Petrus eſt homo: ergo*

Digitized by Google

est animal. Vitiosa est, in qua non vere aliquid concluditur, ut si dicas: *Socrates est animal: ergo est Philosophus.* Igitur hæc, cum non sit simpliciter consequentia, etiam non comprehenditur supra data definitione.

85. Duobus potissimum indiciis dignoscitur bona consequentia. Primum. Si ex veritate absoluta, vel saltem conditionata antecedentis deprehendatur veritas consequentis, ut cernitur in his: *Socrates est homo: ergo Socrates est animal.* Item: *Socrates est avis: ergo volare potest*: ex hypothesi enim, quod antecedens sit verum, etiam tale est consequens.

86. Secundum. Bona est consequentia, si id, quod contradicit consequenti, repugnat antecedenti, ut si dicas: *Socrates est homo: ergo Socrates est animal*: nam hæc propositio: *Socrates non est animal*: quæ repugnat consequenti, repugnat etiam antecedenti. Vitiosa erit consequentia, si non habeat hæc indicia.

87. Nomine *Repugnantium* intellige ea, quæ simul vera esse non possunt. Ad bonam consequentiam non sufficit, quod propositio illata sit absolute vera; requiritur etiam, quod ex alia sequatur. Unde ex hac vera: *Socrates est homo*: inepte inferes: *ergo Socrates est albus*: licet enim Socrates non sit albus, adhuc erit homo.

88. Bona consequentia alia est *Materialis*, & alia *Formalis*. Materialis est, quæ vi solius materiæ

teriæ concludit, ut si dicas: *Homo est animal: ergo est sensus particeps*: sequitur quidem ob cõnexionem sensitivi cum omni animali, sed non vi formæ: nam eodem modo possent disponi termini, & non sequi consequentia, ut: *Leo currit: ergo rugit.*

89 Consequentia Formalis dicitur ea, quæ concludit vi formæ, ut si dicas: *Omnis virtus est laudabilis: sed temperantia est virtus: ergo temperantia est laudabilis.* Nam si hanc formam retineas, apte concludes in quacunque materia etiam impossibili, veluti si dicas: *Omnis leo est lapis: sed equus est leo: ergo equus est lapis.*

QUÆSITUM DUPLEX.

60. QUæres 1. Quid sit consequentia pura, & non pura? Pura dicitur illa, in qua omnes termini antecedentis sunt etiam in consequente. Id quadrifariam potest contingere: 1. quando aliqua propositio colligatur ex se ipsa. 2. cum ex æquipollente. 3. cum subalternata ex subalternante. 4. cum ex conversa colligitur convertens: totum hoc patet exemplis.

91. Primum: *Homo est animal: ergo homo est animal.* Secundum: *Aliquis homo est justus: ergo nonnullus homo est justus.* Tertium: *Omnis homo est animal: ergo aliquis homo est animal.* Quartum.

Nullus

Nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo. Omnes species hujus generis, ut notant hic P. P. C. C. appellantur communi nomine consequentiæ, si excipias conversiones.

92. Consequentia non pura est illa, in qua semper aliquis terminus est in antecedente, qui non sit in consequente, ut si dicas: *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal:* ubi terminus *Homo* non est in consequente, sed in antecedente. Non ita accidit in exemplis supra positis, esto in aliquibus signa varientur.

93. Quæres 2. Quid sit consequentia necessaria, & probabilis? Necessaria dicitur, cujus consequens necessario colligitur ex antecedente, ut: *Socrates est homo: ergo Socrates est animal:* cum homo sit necessario animal. Probabilis est, cujus consequens fere semper ex antecedente concluditur, ut: *Hæc mulier est mater: ergo diligit filium.*

94. Observa hic obiter 1. omnes consequentias formales esse necessarias necessitate consequentiæ: quia, posito antecedente, semper sequitur conclusio. Dixi: *Necessitate consequentiæ:* quia talis consequentia potest esse solum probabilis: in hac autem materia solum potest admitti necessitas consequentiæ, & non consequentis, ut est perspicuum.

95. Observa 2. consequentias materiales quasdam esse necessarias, & alias probabiles necessita-

cessitate consequentis. Totum aperte constat in his: *Homo est animal: ergo omnis homo est animal. Mater diligit filium: ergo hæc mater diligit filium:* utraque est materialis, sed prima necessaria, & alia probabilis.

QUÆSTIO QUARTA.

Quot sint regulæ consequentiarum?

96. PLures numerantur regulæ à P. Fons. 6. Instit. c. 5. Prima est. Ex vero solum sequitur verum: verum autem etiam ex falso colligitur. Prior pars constat: quia repugnat in bona consequentia antecedens verum, & consequens falsum; ne idem simul sit, & non sit. Posterior liquet: quia ex falso admisso, ut vero, potest concludi verum.

97. Suadetur hoc amplius: quia in hoc syllogismo: *Omnis lapis est animal: sed Petrus est lapis: ergo Petrus est animal:* deducitur conclusio in se vera ex præmissis in se falsis. Dixi: *Ex falso admisso, ut vero:* quia aliter intellectus non assentiretur. Quòd ex vero sequatur verum, per se satis perspicuum est.

98. Secunda regula. Ex falso colligitur tũ verum, cum falsum; hoc autem solum ex falso. Verum sequi ex falso probat syllogismus proximè datus: falsum ex falso colligi, sicut & verum

ex

ex vero satis constat ex dictis n. 89. Quòd falsum solum colligatur ex falso, aperte deducitur ex prima regula.

99. Tertia regula. Ex necessario solum colligitur necessarium. Probatur: quia necessarium semper est verum: sed ex vero nunquam sequitur falsum; ergo ex necessario solum colligitur necessarium, utpote perpetuo verum: impossibile enim semper est falsum; & contingens potest tale esse; cum sit indifferens ad utrunque.

100. Ex contingenti, & impossibili etiam potest colligi necessarium: nam in his: *Omnis Philosophus movetur: sed deambulans est Philosophus: ergo deambulans movetur: Omnis lapis est vivens: sed homo est lapis: ergo homo est vivens*: deducitur conclusio necessaria, sed prima ex contingenti, secunda ex impossibili.

101. Quarta regula. Ex contingenti nunquam colligitur impossibile. Prob: quia repugnat, quòd possit antecedens esse verum, falso existente consequente: sed contingens potest esse verum, & impossibile semper est falsum: ergo impossibile non sequitur ex contingenti. Quod autem ex contingenti, aut impossibili sequatur contingens,

102. Ostenditur ab exemplis: quia in his syllogismis: *Omnis Grammaticus est Dialecticus: sed homo est Grammaticus: ergo homo est Dialecticus: Omnis lapis loquitur: sed homo est lapis: ergo*

homo loquitur: semper colligitur conclusio contingens, sed in priori ex contingenti, in posteriori ex impossibili.

103. Quinta regula. Ex impossibili sequitur quodlibet, id est, necessarium, aut impossibile, vel contingens. Prob: quia ex falso colligitur tam verum, quam falsum: ergo ex illo concluditur necessarium, quod semper est verum; item impossibile, quod semper est falsum; & etiam contingens, quod tum verum, cum falsum esse potest.

104. Impossibile solum colligitur ex impossibili: quia si aliter foret, daretur in bona consequentia antecedens verum, & consequens falsum; quod est contra primam regulam. Has regulas si probe teneas, facili negotio deprehendes, quid ex quo apta consecutione concludi possit. Pro meliori tamen, & breviori explicatione,

105. Observa 1. necessarium esse nobilius contingenti, & impossibili; contingens autem esse nobilius impossibili. Observa 2. falsum esse ignobilius vero. Observa 3. ex antecedente nobili non posse colligi consequens ignobilius; maxime vero è contra. Totum disce hoc versu.

Nobile non humilem, dat utramque ignobile prolē.

OBJECTIONES SOLUTÆ.

106. Rg. 1. Consequens includitur in

in antecedente, ut effectus in causa: sed in falso non includitur verum: ergo neque ex illo sequitur. Resp. dist. mai: includitur aut materialiter, aut formaliter, conc: semper materialiter, neg. mai. & concessa minori in hoc sensu, nego conseq: quia cum conclusio sit formaliter falsa, potest includi, & colligi ex falso.

107. Declaratur amplius: quia conclusio illata ex præmissis falsis, licet aliunde sit vera, manet falsa formaliter, ut patet in hoc syllogismo: *Omnis lapis est vivens: sed homo est lapis: ergo homo est vivens*: nam sensus conclusionis est: *ergo homo est vivens; quia omnis lapis est vivens, & homo est lapis*: quod certe est falsum.

108. Arg. 2. In hoc syllogismo: *Omnis logicus est formaliter sciens: sed omnis logicus est formaliter homo: ergo aliquis homo est formaliter sciens*: concluditur contingens ex necessario: ergo non stat regula tertia. Resp. neg. antec: quia non sequitur apposita consequentia, sed ista: *ergo aliquid formaliter homo est sciens*: quæ est necessaria.

109. Stabilitur solutio: quia aliter posset admitti vera connexio duorum extremorum cũ medio termino, quin connecterentur vere inter se: cum antecedens ibi sit necessario verum; & conclusio, utpote contingens, possit esse falsa: quod repugnat naturæ bonæ consequentiæ, ut tritum est apud Logicos. Vide, quæ in simili supra

pra tetigimus à n. 71.

110. Arg. 3. Effectus non est nobilior sua causa: sed necessarium est nobilius contingenti: ergo non potest ex illo colligi; nam consequens necessarium esset illius effectus. Resp. dist. min: est nobilius in se, & materialiter, conc: formaliter, & prout deducitur, nego min., & consi: quia tunc conclusio manet formaliter contingens; sicut manet formaliter falsa ea, quæ aliunde est in se, & materialiter vera, si deducatur ex falso.

111. Arg. 4. Ex identitate impossibili extremorum cum medio non potest colligi vera identitas extremorum inter se: ergo ex impossibili non colligitur verum, ut asserit regula quinta. Resp. neg. antec: quia datis præmissis falsis, ut veris, cogitur defendens admittere ut formaliter veram eam conclusionem, quæ solum est vera materialiter. Vide dicta n. 97.

112. Arg. 5. Contingens potest esse verũ: ergo si ita sit, poterit colligi ex necessario: tunc enim non daretur antecedens verum, & consequens falsum; proindeque regula tertia non subsistit. Resp. neg. conseq: quia conclusio contingens, etsi modo vera, potuit antecedenter esse falsa, & potest postea transire in falsam; & semper sequeretur idem inconveniens, ut planũ est.

113. Arg. 6. Conclusio illata ex præmissis, quarum una sit falsa, est falsa; cum debeat

sequi

sequi deteriorem : ergo ex falso non colligitur verum; quod est contra primam regulam. Resp. neg. conseq: quia regulæ primæ sensus est, quod ex falso admisso ut vero possit colligi conclusio materialiter vera, esto sit falsa, prout deducitur; quod certe verum est.

QUÆDAM OBSERVATIONES.

114. PRo aliis regulis consequentiarū, quas hic recensēt. P. Fonſ. ſupra citatus, obſerva 1. repugnare antecedenti, quod repugnat conſequenti: quia ſi aliquid everteret conſequens, quod non everteret antecedens, daretur in bona conſequentia antecedens verum, & conſequens falſum: hoc autem eſt contra primam regulam.

115. Obſerva 2. in bona conſequentia ex oppoſito contradictorio conſequentis inferri oppoſitum contradictorium antecedentis: nam, ſi ita non concluderetur, poſſet contradictorium conſequentis ſtare cum antecedente : quod repugnat. Unde ſi recte colligitur : *Petrus eſt homo : ergo eſt animal*: ita etiam licebit concludere: *Petrus non eſt animal : ergo Petrus non eſt homo.*

116. Dixi: *Ex oppoſito contradictorio* : quia non ita concluditur ex oppoſito contrario: nam hæc conſequentia eſt bona: *Hoc eſt evidenter impoſſibi-*

Digitized by Google

possibile: ergo est evidenter incredibile: non ita vero hæc: *Est evidenter credibile: ergo etiam evidenter possibile*: aliter demonstraretur mysterium S.S. Trinitatis, cum sit evidenter credibile: quod est contra commune Theologorum.

117. Observa 3. sequi consequens, ex quocunque sequitur antecedens. Unde si hæc est bona consequentia: *Petrus est homo: ergo est animal*: & substantia sequitur ex animali, utique etiam concluditur ex homine. Hæc regula patet his tribus conditionalibus: *Si homo est, animal est: si animal est, substantia est: igitur si homo est, substantia est.*

118. Observa 4. quidquid sequitur ex consequente, sequi etiam ex antecedente. Patet in hac consequentia: *Petrus est homo: ergo est animal*: nam quia ex animali sequitur vivens, utique sequetur etiam ex homine. Hinc est, quòd dicatur essentialiter de antecedente, quidquid essentialiter prædicatur de consequente, ut patet ab exemplo adducto.

SECTIO TERTIA

De Oppositione propositionum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Oppositio?

119. OPpositio propositionis est: *Re-*

pugnantia duarum enuntiationum eodem subjecto, prædicatoque constantium, secundum affirmationem, & negationem. Ita P.P. C.C. cap. 7. de Opposit. q. 1. art. 1. P. Suar. Lusit. P. Arr. & alii. Explicantur particulæ definitionis: *Repugnantia* ponitur loco generis; reliquæ agunt vices differentiæ.

120. Dicitur: *Duarum enuntiationum*: ut excludatur oppositio simplicium terminorum. Subditur: *eodem subjecto, prædicatoque*: quia nulla dabitur oppositio, si non sit idem subjectum, & prædicatum utriusque propositionis. Unde tollitur oppositio, si aliquod ex iis sit diversum, ut: *Petrus legit*: *Paulus non legit*. Ex quo

121. Intelliges prædicatum, & subjectum non esse eadem formaliter, si varietur tempus, aut locus, vel suppositio terminorum, appellatio, & restrictio: & hoc significatur per particulam *eodem*. Ex hoc capite istæ propositiones non sunt oppositæ: *Canis latrat*: *canis non latrat*: si *canis* in prima supponatur pro animali, & in secunda pro sydere.

122. Excipe ab hac regula suppositionem distributivam cum disjunctiva: hæc enim mutatio non tollit oppositionem propositionum; cum non variet subjectum. Nam in universali prædicatum affirmatum, vel negatum de omni, etiam affirmatur, aut negatur de illo, de quo negatur, vel affirmatur in particulari, ut: *Omnis homo*

Digitized by Google

mo sedet: *Aliquis homo non sedet.*

123. Denique additur in definitione: *Secundum affirmationem, & negationem*: ut excludatur oppositio secundum quantitatem, qualis reperitur inter subalternas, ut: *Omnis homo est animal*: *Quidam homo est animal*: hæ enim non habent propriam oppositionem in dicendo, qua in præsenti solum deagimus. Adhuc tamen

124. Pro meliori intelligentia nota negationem in propositionibus absolutis, & simplicibus debere poni ante nexum verbalem, ut: *Aliquis homo non est justus*: in conjunctis ante conjunctionem, ut: *Non si sol lucet, dies est*: & in modalibus ante modum, ut: *Non necesse est Petrum esse hominem*: aliter non dabitur oppositio.

125. Arg. 1. Hæ propositiones: *Omnis homo est albus*: *Aliquis homo est nõ albus*: proprie opponuntur: & tamen ambæ sunt affirmativæ: ergo non stat ultima particula definitionis. Resp. distinguo mai: proprie opponuntur immediate, nego ob dicta in minori: mediate, & æquipollenter, conc. mai: & nego cons: quia secunda propositio est æquipollenter negativa; cum sit de prædicato infinito.

126. Arg. 2. Inter has propositiones: *Petrus est albus*: *Nullum album est Petrus*: datur vera oppositio: & tamen subjectum non est idem: ergo particula *eodẽ subjecto* non subsistit. Resp. neg. min: quia saltem mediate est idem, quate-

nus: *Petrus eſt albus*: convertitur in hanc: *Album eſt Petrus*: cui immediate opponitur: *Nullum album eſt Petrus*: & hinc fit, quod mediate tantùm opponantur.

127. Arg. 3. Datur rigoroſa oppoſitio contradictoria in his propoſitionibus: *Nullũ inintelligibile poteſt intelligi*: *Aliquod inintelligibile poteſt intelligi*: ſed non habent idem ſubjectum; cum nullum detur, quod non poſſit intelligi ſaltem a Deo: ergo, &c. Reſp. neg. mai. ob rationem datam in minori: Cum *Inintelligibile* ſumatur omnimode, id eſt, tam exercite, quam ſignate, ſive in omni ſenſu.

128. Arg. 4. Idem eſt prædicatum, & ſubjectum in his propoſitionibus: *Petrus legit*: *Petrus non legit bene*: deinde una eſt affirmativa, & alia negativa: ſed non opponuntur: ergo non bene definitur oppoſitio. Reſp. neg. primam partem mai: quia prædicatum ſecundæ diverſificatur per ſyncategorema *Bene*, quod non habetur in alia.

129. Pro aliis diſce 1. non opponi has enuntiationes: *Homo albus currit*: *Homo non currit*: quia in prima reſtringitur ſubjectum; non ita in ſecunda. Diſce 2. idem eſſe in his: *Homo eſt magnus*: *Homo non eſt magnus Philoſophus*: quia in prima *Magnus* appellat ſubjectum, & in ſecunda prædicatum.

130. Diſce 3. etiam non opponi has: *Homo*

eſt

eſt nomen: *Aliquis homo non eſt nomen*: quia variatur ſuppoſitio: in prima enim vox *Homo* ſupponitur materialiter; & in ſecunda formaliter pro ſuo ſignificato. Idem eſt in his: *Leo non rugit*: *Leo rugit*: ſi *Leo* accipiatur proprie pro bruto in ſecunda, & in prima metaphorice pro Chriſto.

131. Diſce 4. has propoſitiones: *Petrus ſedet hic*: *Petrus non ſedet illic*: non opponi defectu identitatis loci: ſicut neque aliæ, in quibus non reſpiciatur idem tempus. Hæ: *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*: *Omnes Apoſtoli non ſunt duodecim*: non opponentur, ſi varietur ſuppoſitio; quia primæ v.g. erit copulata, & ſecundæ diſtributiva.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quotuplex ſit Oppoſitio?

132. OPpoſitio complexa latiſſime ſumpta eſt quadruplex, nimirum *Contradictoria*, *Contraria*, *Subcontraria*, & *Subalterna*. Contradictoria datur inter unã propoſitionem univerſalem, & aliam particularem, quarum una ſit affirmativa, & alia negativa ejuſdem de eodem, ut: *Omnis homo eſt juſtus*: *Aliquis homo non eſt juſtus*.

133. Contraria fit inter duas propoſitiones, & ambas communiter univerſales; ſed unam

Digitized by Google

affirmativam, & aliam negativam, ut: *Omnis homo est justus*: *Nullus homo est justus.* Subcontraria ita dicta, quia ejus propositiones sunt sub contrariis, exercetur inter unam affirmativam, & aliam negativam, sed particulares, ut: *Aliquis homo est justus*: *Aliquis homo non est justus.*

134. Subalterna, quæ est impropria, & solum secundum quantitatem, accidit inter propositionem universalem, & particularem sub ea contentam, quarum utraque est affirmativa, vel negativa, ut: *Omnis homo est justus*: *Aliquis homo est justus.* Universalis dicitur *subalterna*; quia habet sub se particularem: hæc vocatur *subalternata*; quia est sub universali.

135. Dixi supra: *Communiter universales*; quia multæ sunt propositiones, quæ tametsi non servent formam earum, quas nuper descripsimus; eas tamen imitantur quoad pugnam veritatis, aut falsitatis: & idcirco appellantur oppositæ de *lege*, quasi oppositarum solas leges servent, de quibus infra incidet sermo suis in locis.

QUÆSTIO TERTIA.

An Oppositio rigorosa sit triplex?

136. PArtem affirmativam tuentur P. Lync. lib. 4. Dialect. tract. 4. c. 4. P. Oviedo in summul. controv. 3. pun. 5. n. 5. P.

5. P. Alphonſ. P. Suar. Luſit. in Log. tract. 7. n. 123. & alii. Prob: quia tot ſunt oppoſitiones, quot pugnæ quoad qualitatem: ſed hæc pugna logica eſt triplex: ergo ita etiam triplex erit oppoſitio. Maior eſt certa,

137. Suadetur minor: quia pugna vel eſt quoad ſimultaneam veritatem, & falſitatem, ut in contradictoriis; vel quoad ſimultaneam veritatem, ut in contrariis; vel quoad ſimultaneam falſitatem, ut in ſubcontrariis: nec alia aſſignabitur. Hæ pugnæ ſunt rigoroſe tales: quia omnibus competit definitio rigoroſæ oppoſitionis, quam ſupra tradidimus à n. 119.

138. Contrarium opinantur P. Fonſ. P.P. C.C. & alii, pro quibus Argues 1. Subcontrariæ non habent idem ſubjectum: ergo non ſunt vere oppoſitæ. Reſp. neg. antec: quia illis repugnat ſimultanea falſitas; proindeque circa idem ſubjectum. Si verificantur pro diverſis, id non obſtat: quia etiam contrariæ falſificantur pro diverſis, & adhuc habent idem ſubjectum quoad veritatis oppoſitionem.

139. Inſt. Quoties duabus enuntiationibus particularibus circa idem ſubjectum repugnat ſimultanea falſitas, etiam abſolute repugnat ſimultanea veritas: ergo tales propoſitiones potius erunt contradictoriæ; ac proinde numquam dantur ſubcontrariæ oppoſitæ. Reſp. neg. antec: quia id non militat in contrariis in ordine

ad falsitatem: ergo neque in subcontrariis.

140. Declaratur amplius: contrariæ pugnant in eodem subjecto quoad veritatem; quia tamen ex suo modo tendendi ad alia se extendunt, ambæ possunt falsificari: ergo etiam subcontrariæ pugnabunt in eodem subjecto quoad falsitatem, & adhuc ambæ poterunt verificari, quatenus affirmativa amplius se extendit ex vi sui modi tendendi.

141. Urg. Istæ: *Aliquis homo currit*: *Aliquis homo non currit*: æquivalent his: *Petrus currit*: *Petrus non currit*: cum omnes supponant pro eodem subjecto: sed secundis repugnat simultanea veritas: ergo etiam primis. Resp. neg. absolute mai: quia propositiones particulares habent diversa subjecta quoad veritatem: non ita vero singulares.

142. Hinc intelliges 1. ex falsitate unius subcontrariæ sequi veritatẽ alterius, ne sint duæ cõtradictoriæ simul falsæ; non ita è cõtra. Intelliges 2. dicta subcontrariarũ non esse absolute opposita quoad veritatẽ, & ex parte rei significatæ; sed solũ quoad falsitatẽ, & ex parte modi significandi, in quo sensu videntur loqui Sũmulistæ.

143. Additur dici posse subjectum proximum, sive enuntiationis esse idem in subcontrariis; esto subjectum remotum, sive verificationis sit multiplex: nam propositiones subcontrariæ habent pro objecto enuntiationis, sive de

quo

quo enuntiant *omnem hominem* vage, & indeterminate sumptum; & pro subjecto verificationis diversa individua, ut notant P. Suar. Lusit. & P. Alphons.

144. Arg. 2. Istæ: *Omnis homo currit*: *Aliquis homo non currit*: sunt rigorose oppositæ: sed non spectant ad aliquam oppositionem ex assignatis: siquidem non habent idem subjectum; cũ prima respiciat omnes homines collective, & secunda disjunctive: ergo datur alia de novo. Resp. neg. min: opponuntur enim contradictorie; cum subjectum sit idem re ipsa, & quoad substantiam.

145. Explicatur solutio: quia propositio universalis affirmat suum prædicatum de omni homine distributive sumpto; & de aliquo ex his negat particularis idem prædicatum: cumvero utrique repugnet simultanea veritas, & falsitas, contradictorie opponuntur. Hæ: *Omnis homo est justus*: *D. Petrus non est justus*: ut pote falsæ, sunt contrariæ de *lege*.

145. Arg. 3. Oppositio harum: *Deus est ubique*: *Deus non est ubique*: non comprehenditur in facta divisione; cum sint singulares: ergo divisio non est adæquata. Resp. neg. antec: sunt enim contradictoriæ de *lege*; cum æquivaleant istis: *Deus est in omni loco*: *Deus in aliquo loco non est*: quæ non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ.

146. Idẽ

146. Idem eſt in his: *Deus eſt ſemper*: *Deus non eſt ſemper*: cum æquivaleant iſtis: *Deus eſt in omni tempore*: *Deus in aliquo tempore non eſt*. Iſtæ: *Deus eſt ubique*: *Deus eſt nullibi*: potius ſunt contrariæ: nam ſi varietur ſubjectum, erunt ſimul falſæ, ut patet in his: *Petrus eſt ubique*: *Petrus nullibi eſt*.

147. Arg. 4. Subcontrariæ non ſe expellunt ab eodem ſubjecto: ergo non ſunt oppoſitæ. Reſp. diſt. conſeq: non ſunt oppoſitæ in eſſendo, conc. ob dicta in antecedente: in dicendo, nego conſ: quia dicunt prædicata oppoſita quoad falſitatem. Si Ariſtoteles ait ſubcontrarias eſſe oppoſitas ſolum penes vocem, intelligendus eſt loqui quoad veritatem.

148. Pro aliis adverte 1. has: *Omnis Deus eſt homo*: *Nullus Deus eſt homo*: eſſe contradictorias de *lege*, ſi *Deus* ſumatur ſubſtantivè, & in concreto pro Filio: quia tunc æquivalent his: *Deus in concreto eſt homo*: *Deus in concreto non eſt homo*: terminus enim ſingularis ibi non diſtribuitur. At ſi ſumatur adjectivè pro perſonis, utraque eſt falſa, & contraria de *lege*.

§. Adverte 2. Iſtas: *Chimæra diſtat à me*: *Chimæra non diſtat à me*: eſſe ambas falſas, & contrarias, ſi ſenſus negativæ ſit chimæram eſſe juxta me: cum non ſit diſtans, nec prope me: ſivero faciant hunc ſenſum: *Chimæra eſt in loco remoto à me*: *Chimæra non eſt in loco remoto à me*: contradi-

cun-

suntur, & solum prima est falsa.

QUÆSTIO QUARTA.

Quæ, & qualis sit oppositio contradictoria?

149. DIco 1. Oppositio contradictoria est: *Repugnantia maxima duarum propositionum secundum affirmationem, & negationem.* Ita videtur sentire Aristoteles 1. Periherm. c. 4. Approbatur definitio: quia clarè explicat essentiam definiti. *Repugnantia* ponitur loco generis: *Maxima* habet vices differentiæ, & distinguit oppositionem contradictoriam à contraria.

150. Dico 2. Contradictoriæ non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Ita cõmuniter. Prob: quia si forent simul veræ, aut simul falsæ, idem simul esset, & non esset: cum una affirmet, quod alia negat: sed hoc est aperte impossibile: ergo. Firmatur: quia una ex contradictoriis contradicit alteri: ergo si una est vera, alia necessario erit falsa.

151. Arg. 1. Istæ: *Petrus essentialiter est albus: Petrus essentialiter non est albus*: sunt contradictoriæ: sed sunt simul falsæ; cum Petrus non includat, nec excludat essentialiter albedinem: ergo Resp. neg. mai: quia non habent idē prædicatum: prima etiam affirmat albedinem,

&

& modum, quo competit: secundavero solum negat albedinem, & non modum.

152. Undeita sunt aptandæ eæ propositiones, ut sint contradictoriæ: *Petrus essentialiter est albus*: *Petrus non essentialiter est albus*: sed tunc prima est falsa, & secunda vera. Sic hæ: *Omnis homo est omne animal*: *Aliquis homo non est animal*: non sunt contradictoriæ: quia non sunt ejusdem prædicati, ut liquet.

153. Arg. 2. Hæ contradictoriæ: *Uterque homo currit*: *Uterque homo non currit*: sunt simul falsæ, si unus tantum homo currat: ergo. Resp. neg. antec: quia ut sint contradictoriæ, debet una affirmare simultaneitatem cursûs, & alia illam negare: in quo sensu prima est falsa, & secunda vera: cum non possit simul dari, & non dari conjunctio cursûs.

154. Roboratur solutio: quia una ex his propositionibus: *Petrus, & Paulus currit*: *Petrus, & Paulus non currit*: est vera, & alia falsa, si una neget, & alia affirmet conjunctionem: ergo similiter. Si vero *Uterque* distribuat subjectum pro singulis individuis copulative; ambæ erunt falsæ, sed contrariæ de *lege*; non vero contradictoriæ.

155. Arg. 3. Istæ: *Petrus est, & non est*: *Non Petrus est, & non est*: sunt contradictoriæ: sed utraque falsificatur: prima, quia affirmat idem simul esse, & non esse: secunda, quia utrumque

negat:

negat: cum alterum ex his necessario detur: ergo. Resp. neg. min: secunda enim est vera; cum solum neget conjunctionem esse Petri cum ipsius negatione.

156. Nota obiter secundam propositionem adhuc esse negativam, licet habeat duplicem negationem: quia duplex negatio solũ reddit propositionem affirmativam, quando utraque cadit supra idem; ut *Nonnullus, Non nemo.* At in præsenti primum *Non* cadit supra copulam propositionis, & secundum *Non* supra partiale prædicatum essendi.

157. Arg. 4. Hæ: *Omnis homo irrationalis est animal: Aliquis homo irrationalis non est animal*: sunt contradictoriæ: sed sunt simul falsæ: nam de subjecto impossibili non prædicatur prædicatum verum: ergo. Resp. neg. min; & illius probationem: quia de tali subjecto bene potest prædicari per negationem prædicatum verum: ideoque sola 2. propositio est vera.

158. Ex his intelliges 1. has: *Omne ambulans movetur: Aliquod ambulans non movetur*: esse contradictorias, esto nemo de facto ambulet: sed primam esse veram; quia affirmat genus de sua specie, qualis est motus respectu deambulationis; ad quod non requiritur existentia. Unde illius contradictoria est falsa; cum illud neget de individuo.

159. Intelliges 2. has: *Nullius hominis aliquis*

quis equus currit: *Alicujus hominis aliquis equus currit*: non esse contradictorias: cum enim ambæ efficiant hunc sensum affirmativum: *Aliquis equus domino carens currit*: *Aliquis equus dominum habens currit*: nullam habent inter se oppositionem, & ambæ possunt esse veræ.

§. Intelliges 3. istas: *Omne animal fuit in Arca Noe*: *Aliquod animal non fuit in Arca Noe*: non esse contradictorias: quia *animal* in primâ sumitur pro generibus singulorum, & in secundâ pro aliquo ex singulis generum, & tunc mutatur suppositio. Igitur contradictoria primæ erit ista: *Aliquod animal cujuscunque speciei non fuit in Arca Noe*: quæ est falsa.

160. Arg. 5: *Omnis homo ridet*: *Aliquis homo non ridet*: sunt contradictoriæ: sed sunt simul falsæ, si unus tantum existat, & rideat: ergo. Resp. neg. min: quia, si subjectum ratione prædicati contingentis determinetur ad solos existentes, sola secunda est falsa, & prima est vera; sensus enim est: *Omnis, quicunque existit, ridet*: quod verum habet.

161. Dixi: *Si determinetur ad solos existentes*: quia si extendatur etiam ad homines possibiles, erit falsa: cum prædicatum contingens non possit affirmari de subjecto non existente. Item secunda ex his propositionibus: *Nulla navis requiritur ad navigandum*: *Aliqua navis requiritur ad navigandum*: est vera, si utraque accipi-

cipiatur in suppositione confusa: quia aliqua navis in confuso requiritur; & prima est falsa.

VALIDIUS ARGUMENTUM.

162. ARg. 6: *Omnes homines currunt: Aliqui homines non currunt:* sunt contradictoriæ: sed sunt simul falsæ, uno solum currente: ergo. Minor patet: prima est falsa, ut liquet: item secunda; quia sonat duos adminus currere. Resp. neg. min. & secundã partem probationis: quia sumitur disjunctive pro binariis: & binarius ex currente, & alio non currente non currit, ut planum est.

163. Elucidatur hæc doctrina: signa pluralis numeri *Omnes, Nulli, Aliqui,* distribuuntur, vel disjunguntur per binarios, quorum unitates sumuntur copulatim, & indivisibiliter. Nam modus significandi in signis numeri pluralis est diversus à signis numeri singularis in hoc, quòd illi distribuant, vel disjungant per binarios; hi vero per unitates.

164. Inst. In terminis numeri pluralis sit descensus mediatus ad singularia hoc modo: *Hic non currit, & ille non currit*: ergo ea propositio manet falsa. Resp. neg. antec. quoad propositionem negativam: quia numerus pluralis, prout à singulari distinguitur, habet plura objecta; proindeque loquitur de pluribus non divisive dicens:

dicens: *Hic, & ille non currit*: hoc enim habet terminus singularis; sed collectim, ut: *Hi, aut illi non currunt.*

165. Dixi: *Quoad propositionem negativam*: quia hæc ut vere neget conjunctionem cursûs in utroque, satis est aliquem ex duobus non currere. Aliter se res habet in affirmativâ verâ: cum vere non detur conjunctio cursûs in binario, nisi currant singuli. Unde in negativâ solum poterit admitti descensus disjunctus ad singularia; non vero copulativus.

166. Inf. Ergo etiam poterunt proferri hæ propositiones: *Aliqui Apostoli non sunt salvati: Aliquæ personæ Divinæ non sunt productæ: Aliquæ matres non sunt virgines.* Resp. conc. illationem: quia in recta Summulistarum acceptione habent sensum verum, & catholicum: at semper caute proferendæ sunt, præcipue apud indoctos.

§. Explicatur amplius: quia si sumatur numerus binarius pro Juda non salvato, & alio Apostolo salvato, verum est, quod uterque simul non sit salvatus: sed similem sensum efficiunt apud Logicos propositiones particulares proximè adductæ in numero plurali: ergo habent sensum verum.

167. Clarioris doctrinæ gratiâ observa 1. propositiones legitime contradictorias debere immediate opponi, & in eodem numero: quia debet servari idem descensus: hic autem non æ-

què

que fit in ſignis numeri pluralis, ac ſingularis. Ex ea ratione iſtæ: *Omnes homines ſunt albi: Aliquis homo non eſt albus*: ſolum mediate opponuntur.

168. Obſerva 2. oppoſitionem contradictoriam in numero plurali eſſe immediatã: quia in eo numero nil mediat inter utranque propoſitionem. Qui plura velit, curioſus legat P. Oviedo in ſũmul. controv. 3. pun. 6. P. Alphonſ. lib. 4. c. 61. P. Suar. Luſit. in Log. tract. 7. n. 135.

QUÆSTIO QUINTA.

An dari poſſit propoſitio carens contradictoria.

169. NEgativa ſententia eſt fere omnium. Prob: quia nulla eſt propoſitio, cui non poſſit præfigi negatio, vel auferri, ſi illam habeat: ſed hoc modo fieret contradictoria una alteri: ergo. Excipe, ſi non ſit idem ſubjectum in utraque propoſitione ob dicta n. 127.

170. Arg. 1. Iſti: *Petrus dormiet, ſi ego legero*: ſolum aſſignatur pro contradictoria hæc: *Non Petrus dormiet, ſi ego legero*: ſed non eſt; cum utraque ſit falſa: prima, quia affirmat ſequi dormitionem ex mea lectione: ſecunda, quia affirmat ſequi negationem dormitionis: nullum enim

ex his sequitur ex mea lectione: ergo.

171. Resp. neg. min. quoad 2. partem, & illius probationem: quia solum negat ea propositio inferendam esse dormitionem ex mea lectione, quod verum est. Unde cum prima hoc asserat, ideo est falsa. Additur clarius posse assignari hanc: *Non si legero, Petrus dormiet*: ut ait P. Oviedo.

172. Arg. 2. Ista: *Petrus, vel Paulus legit*: non habet contradictoriam: nam hæc: *Non Petrus, vel Paulus legit*: non illi contradicit; cum utraque sit falsa, ambobus legentibus: disjunctiva enim facit hunc sensum exclusivum: *Ex duobus unus tantum legit*: ergo. Resp. neg. antec. & illius probationem: utraque enim solum affirmat, vel negat alterum legere, & nil amplius.

173. Arg. 3. Non assignabitur contradictoria hujus conjunctæ: *Plato audit, & Socrates loquitur*; si distribuatur copulative: ergo. Resp. neg. antec: nam illi contradicit ista disjunctiva: *Non Plato audit, vel Socrates loquitur*; tunc enim una manet vera, & alia falsa, & non verificantur simul, neque falsificantur: & sola prima est virtute universalis.

174. Arg. 4. Si hæc exclusiva: *Solus homo currit*: haberet sibi contradicentem, esset ista: *Non solus homo currit*: sed non est; cum utraque sit partim affirmativa; affirmat enim cursum de homine, licet illum etiam neget de alio: ergo.

Resp.

Resp. neg. min., & illius probationem ob earum expositionem, & particula *Non* negat, quidquid invenit immediate post se.

175. Inst. Si nil moveatur, homo non curret solus, nec associatus: ergo utraque propositio erit falsa, proindeque non erit contradictoria. Resp. neg. cons: quia prima ita exponitur: *Homo currit, & nil, quod non sit homo, currit*: secunda vero ita: *Nullus homo currit, vel aliquid, quod non sit homo, currit*: & ex his prima est falsa, secunda vera. Ita P. Fons. Inst. lib. 3. c. 25.

176. Expenditur ratio expositionis: quia exclusivæ, quæ signum, & verbum affirmant, exponuntur copulative, priori exponente indefinitâ, sive particulari affirmativâ, & posteriori universali negativâ. Si vero affirment solum signum, exponuntur copulative, priori indefinitâ, sive particulari negativâ, & posteriori universali affirmativâ.

177. At si negent & signum, & verbum, exponuntur disjunctive, priori universali affirmativâ, & posteriori particulari negativâ. Si denique solum signum negent, exponentur disjunctive, priori universali negativâ, & posteriori particulari affirmativâ. Ut hæc melius teneas, accipe has 4. dictiones: *Ignes, Tonans, Malos, Perdit*. Adhuc tamen

178. Adverte 1. in singulis dictionibus esse duas vocales, quæ significant qualitatem, &

quantitatem exponentium: *A* ſignificat univerſalem affirmativam, *E* univerſalem negativam, *I* particularem affirmativam, & *O* particularem negativam. Adverte 2. primas duas dictiones inſervire ad exponendas contrarias, & alias duas ad ſubcontrarias. Inſpice tabellam.

	1		2
Solus homo currit.		*Solus homo non currit.*	
	Id eſt.	Contrariæ.	Id eſt.
Ignē	*Homo currit, & nihil, quod non ſit homo, currit.*	Tonans	*Homo non currit, & omne, quod non eſt homo, currit.*
	3		4
Non ſolus homo nō currit.		*Non ſolus homo currit.*	
	Id eſt.	Subcontrariæ.	Id eſt.
Malos.	*Omnis homo currit, vel aliquid, quod nō eſt homo, non currit.*	Perdit.	*Nullus homo currit, vel aliquid, quod non eſt homo, currit.*

179. Adverte 3. primam, & ſecundam propoſitionem eſſe contrarias, tertiam, & quartam ſubcontrarias: & primam, & quartam eſſe contradictorias. Adverte 4. primas duas ſemper exponi copulative, & alias disjunctive: at ſi prima propoſitio habeat ſignum univerſale, ut: *Solum omnis homo currit*: exponendæ ſunt, inverſis dictionibus, ut *Malos, Perdit, Igne, Tonans.*

180. Inſuper, ut tibi in promptu ſit, quænam propoſitio neget ſignum, aut verbum, ſcies pri-

es primam non denegare signum, neque verbũ; secunda negat verbum, tertia utrunque, & quarta solum signum. Hoc indicat sequens versus, qui memoriam juvare poterit.

Igne nihil, verbumq̃ Tonans, sed Malos utrumq̃ Denegat, & Perdit Signum.

181. Arg. 5. Hæc: *Omne mobile præter cælum interire potest*: non habet contradictoriam, nec assignabitur: ergo. Resp. neg. antec: nam tali exceptivæ contradicit ista: *Non omne mobile præter cælum interire potest*: utraque enim respuit simultaneam veritatem, aut falsitatem. Verum ut pateat illarum sensus, qui prima facie non constat, exponendæ sunt aliis propositionibus, qua de causa *exponibiles* appellari solent.

182. Exceptivæ exponuntur hoc pacto: contrariæ exponuntur copulative duabus enuntiationibus universalibus: prima priori affirmativâ, posteriori negativâ: secunda priori negativâ, posteriori affirmativâ. Duæ aliæ exponuntur disjunctive duabus particularibus; tertia priori affirmativâ, posteriori negativâ; quarta priori negativâ, posteriori affirmativâ.

183. Ad pleniorem intelligentiam nota 1. exponentes contrariarum esse contrarias; subcontrariarum subcontrarias; contradicentium contradicentes, & subalternarum subalternas. Idem, velim, intelligas de exclusivis. Nota 2. hæc omnia probe dignosci, notatis his 4. dictionibus

nibus *Caute, Cedas, Prisco, Mori*: prima significat exponentes primæ; reliquæ, quæ sequuntur, eodem ordine exponentes reliquarum.

1.	2.
Omne mobile præter cælum interire potest.	*Omne mobile præter cælũ non potest interire.*
Id est.	Contrariæ. Id est.
Caute. *Omne mobile, quod non est cælũ, interire potest, & Nullum cælum interire potest.*	Cedas. *Nullum mobile, quod non est cælũ, interire potest; & Omne cælum interire potest.*
3.	4.
Non omne mobile præter cælum non potest interire.	*Non omne mobile præter cælũ interire potest.*
Id est.	Subcontrariæ. Id est.
Prisco. *Aliquod mobile, quod non est cælũ, interire potest, vel Aliquod cælũ interire nõ potest.*	Mori. *Aliquod mobile, quod non est cælũ, non potest interire, vel Aliquod cælũ interire potest.*

184. In exceptivis enuntiationibus vel affirmatur signum, & verbum, ut in primâ; vel solum affirmatur signum, ut in secundâ; aut utrunque negatur, ut in tertiâ; aut signum duntaxat, ut in quartâ. Totum hoc patet ex supra posito

sche-

schemate, & tabella. Vide P. Fons. Inst. lib. 3. c. 26.

NOTABILIA SINGULARIA

Pro assignandis propositionibus contradictoriis

NOTABILE PRIMUM.

185. PRopositioni affirmativæ, cujus subjectum sit terminus cõmunis signo universali, aut particulari affectus, assignabis contradictoriam: 1. si toti propositioni præfigas negationem. 2. si signum universale mutetur in particulare, & vice versa; & copulæ negatio præfigatur. Sic: *Omnis homo est animal* contradicit huic: *Non omnis homo est animal.*

186. Suadetur hoc ratione: quia propositiones æquipollentes habent idem immediatum contradictorium: sed hæ: *Non omnis homo est animal*: *Aliquis homo non est animal*: sunt æquivalentes: ergo sicut secunda contradicit huic: *Omnis homo est animal*: ita etiam prima. Sic contradicuntur hæ: *Non aliquis homo est animal*: *Aliquis homo est animal.*

187. Hinc intellige 1. id suo modo valere in propositionibus de subjecto copulato: siquidem ista: *Petrus, & Paulus currunt*: habet pro contradictoria hanc: *Petrus, vel Paulus non currit*: nam conjunctio *&* est veluti signum univer-

sale; cum requirat positionem utriusque extremi; & disjunctio *vel* habet se ut signum particulare; cum solum exigat positionem unius extremi. Illi etiam contradicit ista: *Non Petrus, & Paulus currunt.*

188. Intellige 2. eam doctrinam etiam aptari propositionibus singularibus: huic enim: *Petrus currit*: contradicit ista: *Non Petrus currit.* Idem dic de hac: *Socrates est homo*: habet enim pro contradictoria istam: *Non Socrates est homo*: at *Non* ibi sumitur ut negatio negans, & non ut infinitans: aliter erit vera, cum v. g. Petrus sit *Non Socrates*, & sit homo. Ita P. Oviedo in sumul. controv. 3. pun. 5. n. 9.

189. Tunc negatio sumitur ut infinitans, juxta P. Fons. 8. Inst. c. 32., quando illius virtus solum attingit dictionem, cum qua componit unum vocabulum; & tunc proxime data propositio habet hunc sensum affirmativum: *Aliquid, quod est non Socrates, est homo.* Si vero accipiatur ut negans, negat, quidquid post se invenit; & ideo malignantis naturæ à plerisque appellatur, & facit sensum negativum.

190. Intellige 3. contradictoriam hujus propositionis: *Omnis Deus est omnipotens*: esse istam: *Non omnis Deus est omnipotens*: quia sunt singulares: signum enim *Omnis*, cum sit adjunctum termino singulari *Deus*, non illum distribuit. Si sumatur distributive, utraque erit falsa,

&

& contraria: cum falſo ſupponatur dari plures Deos veros.

NOTABILE SECUNDUM.

191. SI ſubjectum propoſitionis afficiatur termino, qui ſignificet aliquid convenire ſubjecto non affirmatum per copulam principalem, ut v. g: *Petrus albus currit*: dupliciter aſſignabis contradictoriam: 1. ſi toti propoſitioni præfigas negationem, ut: *Non Petrus albus currit.* 2. ſi illam ponas ante copulam, ut: *Petrus albus non currit.*

192. Dices 1. Si Petrus non ſit albus, utraque propoſitio erit falſa: prima; quia eſt falſæ ſuppoſitionis; cum non detur Petrus albus: item ſecunda, nempe: *Petrus albus non currit*: ergo non bene aſſignatur contradictoria. Reſp. neg. antec. quoad 2. partem: quia cum ſit de ſubjecto non ſupponente, ſive non ſuppoſito, vere de illo negat prædicatum, ut ait P. Oviedo.

193. Stabilitur ſolutio: hæ: *Antichriſtus eſt ſapiens*: *Antichriſtus non eſt ſapiens*: contradicuntur, licet Antichriſtus non exiſtat; quia ut negetur prædicatũ, non requiritur exiſtentia ſubjecti: ſed etiam ut negetur curſus de Petro albo, non eſt neceſſarium, quod Petrus exiſtat albus: ergo utrobique eadem eſt Philoſophia.

194. Inſt. In ea propoſitione negatur prædica-

dicatum, quod vere datur in Petro, eſto hic non exiſtat albus: ergo eſt falſa. Reſp. neg. conſeq: quia ſubjectum talis propoſitionis non eſt Petrus ſecundum ſe, ſed Petrus albus: cum vero in hoc ſubjecto ita conſiderato non detur curſus, ideo de illo vere negatur.

195. Dices 2. Contradictoria hujus: *Cujuslibet hominis omnis equus currit*: non eſt iſta: *Cujuslibet hominis aliquis equus non currit*: nam utraque poteſt eſſe falſa, ſi nullus homo habeat equum: ergo non ſtat ſuprapoſita doctrina. Reſp. neg. antec., & illius probationem: nam ſecunda propoſitio, utpote negativa de ſubjecto non ſupponente, veritatem habet.

196. Dices 3. Contradictoria hujus: *Omnis homo ſervans omne mandatum Dei ſalvabitur*: non eſt iſta: *Aliquis homo ſervans aliquod mandatum Dei non ſalvabitur*: cum ambæ poſſint eſſe veræ: & tamen in negativa negatio præfigitur copulæ: ergo. Reſp. neg. conſeq: ideo enim ibi non tenet regula; quia non eſt idem ſubjectum in utraque propoſitione.

197. Explicatur hoc: quia *Servans omne mandatum Dei* non ponitur in utraque propoſitione, ut patet. Unde primæ propoſitioni veræ contradicit hæc falſa: *Aliquis homo ſervans omne mandatum Dei non ſalvabitur*. Item huic: *Sentio veniſſe Regem*: contradicit iſta: *Non ſentio veniſſe Regem*: quia negatio afficit verbum præcipuú.

NO-

NOTABILE TERTIUM.

198. SI propositio habeat reduplicationem, vel aliquem modum, quo prædicatum conveniat subjecto, illi assignabis contradictoriam, præfigendo negationem reduplicationi, aut modo: quia in una propositione debet negari idem prædicatum, quod in alia affirmatur: hoc autem solum accidet, si negationem reduplicationi præfigas, & modo.

199. Illustratur hæc doctrina ab exemplis: huic: *Petrus in quantum homo est albus*: contradicit ista: *Petrus non in quantum homo est albus.* Item contradictoria hujus propositionis: *Homo accidentaliter est albus*: est ista: *Homo non accidentaliter est albus*: si enim negatio postponatur, non erunt contradictoriæ ob dicta supra n. 151.

200. Idem intellige, si subjecto propositionis adjungatur adverbium significans locum, aut tempus, in quo prædicatum conveniat subjecto. Unde si dicas: *Omnis homo semper currit*: illius contradictoria erit ista: *Aliquis homo non semper currit.* Huic: *Bis audivi sacrum*: contradicit ista: *Non bis audivi sacrum.*

NOTABILE QUARTUM.

201. PRopositio, cujus subjectum cõmune

mune afficiatur signis *Uterque*, *Alter*, *Neuter*, v.g. hæc: *Uterque homo currit*: habebit pro contradictoria aliam, præfixa negatione ante signũ, hoc pacto: *Non uterque homo currit*. Firmatur: quia *Non uterque*, & *Alter non* sunt termini æquivalentes: sed hæc: *Alter homo non currit*: contradicit primæ: ergo etiam alia.

202. Item: *Neuter homo currit*: opponitur contradictorie cum hac: *Alter homo currit*. Similiter: *Uterque homo currit*: contradicit huic: *Alter homo non currit*. Dixi: *Sunt termini æquivalentes*: quia signa universalia fiunt particularia, præposita negatione: *Uterque* autem est signum universale, & *Alter* particulare juxta dicta n. 187.

203. Dices. Si duo simul currant, vera est ista: *Uterque homo currit*: sed etiam vera erit hæc: *Alter homo non currit*: si ex aliquo binario unus non currat: ergo non contradicuntur; aliter dabuntur duæ contradictoriæ simul veræ. Resp. neg. min: quia, cum sit copulativa pro binariis, exigit ad veritatem, quòd aliquis ex omni binario non currat: cum vero duo simul currant, ideo est falsa: quidquid contradicat P. Alphons.

204. Totum explicat P. Oviedo in summul. controv. 3. pun. 6. à n. 11. in hunc modum: in propositionibus, quæ habeant pro objecto, v.g. hominum multitudinem, signum *Uterque* disjun-

disjungit binarios, & distribuit unitates: quare hæc: *Uterque homo currit*: habet hunc sensum: *Ex his duobus hic, & iste currit; vel ex his duobus hic, & iste currit*; & sic de aliis. Igitur ut sit vera, sufficiunt duo simul currentes.

205. Signum *Alter* distribuit terminum pro binariis, & disjungit pro unitatibus: igitur hæc: *Alter homo non currit*: ita explicatur: *Horum duorum hic, vel iste non currit; & horum duorum hic, vel iste non currit.* Item *Neuter* semper debet accipi cum disjunctione binariorum, & distributione unitatum. Hinc tamen obiter

206. Deducitur propositiones, in quibus sint *Neuter*, & *Uterque*, esse universales respectu unitatum, & particulares respectu binariorum ob rationem datam n. 187. At in qua sit *Alter*, erit particularis respectu unitatum, & universalis respectu binariorum: in communi tamen acceptione priores appellantur absolute universales, & posteriores particulares.

QUÆSTIO SEXTA.

Quid, & qualis sit oppositio contraria?

207. DIco 1. Oppositio contraria est: *Repugnantia mediata duarum propositionum secundum affirmationem, & negationem in ordine ad veritatem.* Particula *Repugnantia*

tia habet locum generis: *Mediata* distinguit oppositionem contrariam à contradictoria; hæc enim, utpote maxima, est immediata. *Secundum veritatem* illam discriminat à subcontraria.

208. Dico 2. Propositiones contrariæ non possunt esse simul veræ. Ita cum Aristotele P. P. C. C. c. 7. de Opposit. q. 1. artic. 3. & alii cõmuniter. Prob: quia si duæ contrariæ essent simul veræ, utique essent duæ contradictoriæ: sed hoc fieri nequit, ut supra stabilivimus: ergo contrariis repugnat simultanea veritas.

209. Suadetur maior: quia si contrariæ essent simul veræ, veræ etiam essent earum particulares; siquidem ex veritate universalis colligitur veritas particularium: sed particularis unius contrariæ contradicit alteri contrariæ: ergo si duæ contrariæ essent veræ, tales etiam essent duæ contradictoriæ. Minor est indubia, patet consequentia.

210. Quod contrariæ possint esse simul falsæ, liquidum est in his: *Omnis homo est justus*: quæ est falsa ratione Judæ proditoris: & *Nullus homo est justus*: quæ etiam est falsa, cum aliquis homo, v. g. D. Joannes, sit justus: sed tales propositiones sunt contrariæ: ergo hæ possunt esse simul falsæ.

211. Arg. 1. Hæ: *Nullum necessarium ad navigandum est navis*: *Omne necessarium ad navigandum est navis*: sunt contrariæ: sed sunt simul veræ;

veræ; cum nulla navis determinata sit necessaria; & siquid est necessarium, navis est: ergo. Resp. neg. min: prima enim est falsa: quia facit sensum copulatum, sic: *Neque hoc necessarium ad navigandum, neque illud, &c. est navis*: similis enim est sensus affirmativæ; & una negat, quod alia asserit.

212. Arg. 2. Istæ: *Omnis homo est omnis homo*: *Nullus homo est nullus homo*: sunt contrariæ, & simul veræ: ergo. Resp. neg. antec. quoad 1. partem: secunda enim etiam est affirmativa: quia duplex negatio significata per duplex signum *Nullus* affirmat; cum cadat supra idem. Unde idem est sensus utriusque propositionis.

213. Arg. 3. Hæ: *Cujusque hominis altera manus est dextera*: *Cujusque hominis altera manus non est dextera*: sunt contrariæ; quia signa sunt universalia: sed sunt simul veræ: ergo. Resp. neg. mai; sunt enim subcontrariæ, & æquivalent his: *Quædam manus est dextera*: *Quædam manus non est dextera*: & hæ veræ esse possunt.

214. Ad insinuatam probationem dic ea signa non esse vere universalia: quia ibi solum reperitur quantitas casûs obliqui, quæ parum facit ad quantitatem propositionis. Nam signũ in recto, & modificans casum rectum est *Altera*: *Cujusque* vero est signum obliquum, & solum afficit casum obliquum, videlicet *hominis*.

215. Item hæ: *Homo semper est albus*: *Homo*

non

non semper est albus: sunt subcontrariæ; cum enim terminus *Homo* sit communis, & utraque in materia contingenti, æquivalet his particularibus: *Aliquis homo semper est albus*: *Aliquis homo non semper est albus*: hæ autem possunt simul verificari; siquidem potest v.g. Petrus semper esse albus; non ita vero Paulus.

216. Arg.4. Si dimidia pars hominum disputet, hæ sunt veræ: *Quasi quilibet homo disputat*: *Quasi quilibet homo non disputat*: sed contrariantur; nam ea signa sunt universalia, licet non distribuant subjectum pro omnibus complete, ut universalia: ergo. Resp. neg. mai: quia cum prædicta signa supponant saltem pro maiori parte, utraque est falsa; neque enim disputat maior pars, neque non disputat.

217. Arg. 5. *Si nullus homo est sensitivus, nullus est animal*: *Si omnis homo est sensitivus, omnis est animal*: contrariantur: sed sunt simul veræ: ergo. Resp. neg. mai: quia nullam habent determinatam quantitatem, neque per se aliquid affirmant, aut negant; sed solum conjungunt propositiones, quæ id efficiant: igitur non sunt formaliter contrariæ.

218. Stabilitur amplius: quia tales propositiones conjunctæ nituntur his simplicibus: *Nil non sensitivum est animal*: *Omne sensitivum est animal*: sed hæ non contrariantur: ergo neque conjunctæ in illis nixæ contrariæ sunt, etiam

virtualiter. Nam conjunctæ tunc virtualiter contrariantur, quando nituntur simplicibus contrariis. Pro aliis vide inferius dicenda à n. 230. usque ad n. 234.

QUÆSITUM INCIDENS.

219. QUæres obiter: an oppositio contraria sit maior oppositione contradictoriâ? Negant P. P. C. C. c. 7. de oppos. q. 1. art. 1. §. *Aliter opponi solet*: P. Lync. lib. tract. & c. 4. n. 48. Prob: quia oppositio contraria est solum in veritate: sed contradictoria est simul in veritate, & falsitate: ergo oppositio contraria est minor contradictoriâ.

220. Roboratur 1: quia illud est maximè oppositum, quod est causa, ut cætera opposita sint: hoc autem habet sola oppositio contradictoria; cum per illam ostendatur oppositio contraria. 2. quia extrema oppositionis contradictoriæ, nempe *esse*, & *non esse*, magis distant inter se, quam extrema oppositionis contrariæ: ergo hæc est minor.

221. Dices 1. Magis opponuntur affirmare de omni, & negare de omni, quam negare de omni, & affirmare de uno tantum, vel è contra: sed primum invenitur in contrariis solum: ergo. Resp. dist. mai: magis opponuntur extensivè,

conc: intensive, nego mai. & conseq: quia una contradictoria magis recedit ab alia; cum respuat mutuam veritatem, & falsitatem; & contraria solam veritatem.

221. Dices 2. Oppositio contraria includit formaliter contradictoriam; cum involvat particularem, quæ contradicit alii contrariæ: ergo est maior, ut totum est maius sua parte. Resp. neg. antec: quia particularis solum est formaliter contradictoria, dum sumitur se sola; & hoc modo non includitur in universali, nisi dum sumitur simul cum aliis: & per hoc satisfit probationi.

223. Neque contrariæ sunt totum, neque contradictoriæ sunt pars contrariarum: nam prout in contrariis includuntur simul cum aliis, jam non sunt contradictoriæ formaliter: aliter contrariæ essent contradictoriæ; quod non est dicendum. Quare sicut contradictoriæ desinunt tales esse, dum includuntur in contrariis; ita hæ desinunt opponi adhuc æque, atque contradictoriæ.

224. Inst. In ista: *Aliquis homo non est justus*: contradicente huic: *Omnis homo est justus*: non sumitur aliquis terminus determinatus: nam tunc æquivaleret isti: *Petrus non est justus*: quæ non illi contradicit, ut alibi diximus: ergo contradictoria sumitur simul cum aliis. Resp. neg. conseq: quia ibi sumitur terminus indeterminate,

nate, sed seorsim ab aliis.

225. Dices 3. Oppositio contraria est maior subcontrariâ: ergo etiam contradictoriâ. Resp. negâ conseq; diversitas est: quia oppositio contrariarum est radix oppositionis physicæ: cum nequeant compati in eodem intellectu: non ita se habet oppositio subcontrariarum: ergo oppositio contraria est maior subcontrariâ. At non ita est in alio casu ob rationem jam datam.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quæ, & qualis sit oppositio subcontraria?

226. DIco 1. Oppositio subcontraria est: *Repugnantia duarum propositionum secundum affirmationem, & negationem in ordine ad solam falsitatem.* Primæ particulæ ponuntur loco generis, alia: *Ad solam falsitatem* distinguit oppositionem subcontrariam à contraria, quæ potest mutuam falsitatem admittere; & à contradictoria, cui repugnat simultanea veritas, & falsitas.

227. Dico 2. Duæ propositiones subcontrariæ non possunt esse simul falsæ. Ita P. P. C. C. c. 7. de oppos. q. 1. artic. 3. §. *Eadem via.* Prob: quia si essent simul falsæ, etiam tales essent duæ contradictoriæ: nam hæc falsa: *Aliquis homo est albus*: esset sub istâ contrariâ falsâ: *Omnis*

nis homo est albus: hæc autem contradiceret alteri subalternæ falsæ: *Aliquis homo non est albus*: quod non est admittendum.

228. Quod duæ subcontrariæ possint esse simul veræ, patet in his: *Aliquis homo est albus*: *Aliquis homo non est albus*: utraque enim erit vera, si v.g. solum aliquis homo sit albus: quia ad veritatem utriusque propositionis sufficit, quod aliquis homo sit albus, & aliquis non sit albus: totum autem hoc vere accidit in præfata suppositione.

229. Arg. 1. Subcontrariæ: *Non si animal dividitur in hominem, & brutum; aliquod animal non est homo*: *Non si animal dividitur in hominem, & brutum; aliquod animal est homo*: sunt simul falsæ: ergo. Resp. neg. suppositionem, nimirū, quod contrariæ conditionales constent subcontrariis consequentibus, ut notat P. Fons. 3. Instit. c. 19.

230. Expenditur solutio: quia tunc essent veræ istæ contrariæ: *Si animal dividitur in hominem, & brutum; aliquod animal est homo*: *si animal dividitur in hominem, & brutum; aliquod animal non est homo*. Item contraria esset vera, falsa existente subcontrariâ, ut patet: at contraria non potest vera esse, quin talis sit subcontraria; neque hæc esse falsa, quin illa etiam sit falsa.

231. Arg. 2. Si demus copulativas, quarū omnes simplices sint subcontrariæ, hæ erunt simul

mul falsæ, ut liquet in his: *Non & aliquis homo non est albus, & aliquis equus est albus: Non & aliquis homo est albus, & aliquis equus est albus:* sed cogimur hoc admittere: ergo. Resp. neg. min: quia aliter etiam contrariæ essent simul veræ; quod repugnat cum falsitate subcontrariarum; cum ab iis desumant falsitatem.

232. Declaratur ulterius: quia in eo casu contrariæ essent istæ: *Aliquis homo est albus, & aliquis equus est albus: Aliquis homo non est albus, & aliquis equus non est albus,* & essent simul veræ, ut planum est: hoc autem est sufficiens fundamentum, ne admittamus propositiones copulativas, quarum omnes simplices sint subcontrariæ.

233. Arg. 3. Propositiones disjunctivæ possunt constare simplicibus contrariis: sed hoc posito, subcontrariæ sunt simul falsæ, ut cernitur in his: *Aut omnis homo est albus, aut omnis equus est albus: Aut nullus homo est albus, aut nullus equus est albus:* ergo non subsistit conclusio. Resp. neg. mai. ob dicta in minori.

234. Solidatur ulterius: quia contrariæ non possunt esse veræ, saltis existentibus subcontrariis: hoc autem admittere cogitur data maiori: nam veræ essent hæ contrariæ: *Non aut nullus homo est albus, aut nullus equus est albus: Non aut omnis homo est albus, aut omnis equus est albus;* & subcontrariæ essent falsæ, ut vidimus in antece-

dente.

235. Arg. 4. Subcontrariæ non possunt esse simul veræ in materia necessaria: ergo non bene ponitur particula: *In ordine ad solam falsitatem.* Resp. dato antecedente, neg. conseq: quia optime intelligitur ea particula cum eo, quod sumatur in materia contingenti, in qua non repugnat subcontrariis simultanea veritas juxta dicta n. 228.

SPECIALIA DOCUMENTA

Pro Conditionalibus, Copulativis, & Disjunctivis.

236. PRimum documentum. Contrariæ conditionales debent esse affirmativæ, & subcontrariæ negativæ. Illæ sunt virtute universales, hæ autē particulares, ut visitur in his: *Si Socrates est homo, Socrates est animal: Si Socrates est homo, Socrates non est animal,* quæ sunt contrariæ. Subcontrariæ sunt hæ: *Non si Socrates est homo, Socrates non est animal: Non si Socrates est homo, Socrates est animal.*

237. In conditionalibus tum contrariæ, cum subcontrariæ constant eodem antecedente, & contrario, aut contradictorio consequente: constantes ex simplicibus cōmunibus contrariorum consequentium habes in his: *Si omnis homo est animal, omnis homo est sensibilis: Si omnis homo*

est

est animal, nullus homo est sensibilis, quæ sunt contrariæ; absolute nulla dicitur negativa, licet negetur dictum : quia non negatur conditio *Si*.

238. Istarum subcontrariæ sunt hæ: *Non si omnis homo est animal, nullus homo est sensibilis*: *Non si omnis homo est animal, omnis homo est sensibilis*. Quòd propositiones conditionales constare possint ex simplicibus singularibus, satis clare dignoscitur ab exemplis, quæ supra retulimus n. 236.

239. Propositiones conditionales compositæ ex simplicibus cõmunibus contradictoriorum consequentium ita describuntur: *Si omnis homo est animal, omnis homo est sensibilis*: *Si omnis homo est animal, aliquis homo non est sensibilis*: hæ sunt contrariæ. Et subcontrariæ istæ: *Non si omnis homo est animal, aliquis homo non est sensibilis*; *Non si omnis homo est animal, omnis homo est sensibilis*.

240. Ex hac doctrina liquido constat duas propositiones conditionales contrarias non posse admittere simultaneam veritatem: quia contrariæ, & contradicentes dicuntur inferri ex eodem antecedente: ergo non possunt esse simul veræ : aliter aliquid repugnaret consequenti, quod non repugnaret antecedenti; quod non est admittendum. Si tamen contrariæ sint falsæ, erunt veræ subcontrariæ.

241. Secundum documentum. In copula-

tivis contrariæ sunt affirmativæ, & subcontrariæ negativæ: quia solum in his negatur conjunctio &. Copulativis contrariis, & subcontrariis speciale est, ut coalescant ex simplicibus contrariis, aut contradicentibus, ita ut saltem una simplex unius contrariæ, vel subcontrariæ sit contraria, vel contradictoria simplici alterius.

242. Copulativæ oppositæ, quæ constant ex simplicibus singularibus, sunt: *Et Petrus loquitur, & Paulus audit: Et Petrus non loquitur, & Paulus non audit. Non & Petrus non loquitur, & Paulus non audit: Non & Petrus loquitur, & Paulus audit:* primæ duæ sunt contrariæ, & duæ ultimæ subcontrariæ; sed quarta contradicit primæ.

243. Ita eodem ordine describuntur, quæ constant simplicibus contrariis: *Et omnis homo est sensibilis, & omnis equus est sensibilis. Et nullus homo est sensibilis, & nullus equus est sensibilis.* hæ sunt contrariæ. Subcontrariæ sunt: *Non & nullus homo est sensibilis, & nullus equus est sensibilis: Non & omnis homo est sensibilis, & omnis equus est sensibilis.*

244. Quæ constant simplicibus communibus contradicentibus, sunt istæ: *Et omnis homo est sensibilis, & omnis equus est sensibilis. Et aliquis homo non est sensibilis, & aliquis equus non est sensibilis. Non & aliquis homo non est sensibilis, & aliquis equus non est sensibilis: Non & omnis homo est*

sensi-

sensibilis, & omnis equus est sensibilis. Priores sunt contrariæ, posteriores subcontrariæ.

245. Tertium documentum. In disjunctivis contrariæ sunt negativæ, & subcontrariæ affirmativæ: at illæ sunt virtute universales, hæ autem particulares. Hoc speciale est disjunctivis, ut tam contrariæ, quàm subcontrariæ debeant constare simplicibus contradicentibus, aut subcontrariis. Hanc doctrinam intellige de his disjunctivis, quæ solum censentur falsæ, cum omnes partes falsificantur, ne contrariæ sint veræ, & subcontrariæ falsæ.

246. Disjunctivæ compositæ ex simplicibus singularibus sunt hæ: *Non aut Petrus non est homo, aut Paulus non est homo: Non aut Petrus est homo, aut Paulus est homo. Aut Petrus est homo, aut Paulus est homo: Aut Petrus non est homo, aut Paulus non est homo.* Ex his duæ primæ sunt contrariæ, & ultimæ duæ subcontrariæ.

247. Exempla constantium ex simplicibus communibus contradicentibus habes in his: *Non aut nullus homo est albus, aut nullus equus est albus: Non aut aliquis homo est albus, aut aliquis equus est albus. Aut aliquis homo est albus, aut aliquis equus est albus: Aut nullus homo est albus, aut nullus equus est albus:* primæ duæ sunt contrariæ, aliæ subcontrariæ.

248. Describuntur hoc pacto, quæ componuntur ex simplicibus communibus subcontrari-

trariis: *Non aut aliquis homo non est albus, aut aliquis equus est albus*: *Non aut aliquis homo est albus, aut aliquis equus est albus. Aut aliquis homo est albus, aut aliquis equus est albus*: *Aut aliquis homo non est albus, aut aliquis equus non est albus.* Ex his primæ duæ sunt contrariæ, aliæ subcontrariæ.

SECTIO QUARTA.

De Conversione, & Æquipollentia propositionum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit conversio, & quotuplex?

249. Resolvo 1. Conversio est: *Commutatio extremorum enuntiationis, servatâ qualitate, & veritate.* Dicitur *Commutatio extremorum*: quia subjectum debet fieri prædicatum, & è contra: additur *Servata qualitate*: quia affirmativa debet converti in affirmativam, & negativa in negativam: *& veritate* denotat utramque propositionem debere esse veram.

150. Resolvo 2. Conversio triplex est, nempe *Simplex, per accidens, & per contrapositionem. Simplex* est, in qua servatur eadem qualitas,

tas, & etiã quantitas, ut accidit in conversione universalis negativæ, & particularis affirmativæ. *Per accidens* est, in qua servatur qualitas, sed non quantitas, ut fit in affirmativâ universali, quæ convertitur in particularem.

251. Conversio *per contrapositionem* fit mutando terminos finitos in infinitatos, servatâ eadem quantitate, & qualitate; ut: *Omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo.* Nota obiter propositionem antecedentem, quæ convertitur, dici conversam; & illa, in quam convertitur, appellatur convertens. Totum hoc continetur his versibus

Feci simpliciter convertitur, Eva per acci;
Asto per contra. Sic fit conversio tota.

Ut hos versus explicem, audias alios.

Asserit A, negat E, verum generaliter ambæ:
Asserit I, negat O, sed particulariter ambæ.

252. Litera *A* denotat propositionem universalem affirmativam, *E* universalem negativam, *I* particularem affirmativam, & *O* particularem negativam. His positis, facile percipies priores versiculos: ibi sunt tres voces, scilicet *Feci, Eva, Asto. Feci* indicat conversionem simpliciter fieri in universali negativa juxta *E*, & in particulari affirmativa juxta literam *I*.

253. Dictio *Eva* denotat conversionem *per accidens* fieri in universali affirmativâ expressa per *A*, & etiam in universali negativâ significata

cata per *E*. Dictio *Asto* significat conversionem *per contrapositionem* fieri in propositione universali affirmativâ, ut denotat *A*, & in particulari negativâ, ut innuit litera *O*. His brevi syllabo adnotatis,

254. Quæres, quid requiratur ad veram conversionem? Exigitur triplex identitas: 1. secundum rem significatam; 2. penes modum significandi; 3. quoad acceptionem termini, & illius suppositionem. Hæc triplex identitas ad unū caput reducitur, nempe quòd termini in convertente iidem sint, atque in conversâ.

255. Defectu primæ identitatis hæc: *Nullus fluvius est in pice*: non bene convertitur in istā: *Ergo nullus piscis est in fluvio*: quia totum prædicatum conversæ, nempe: *est in pice*: æquivalens huic: *Existens in pice*: non sit subjectum convertentis. Idem est in hac: *Nullus cæcus fit naturaliter videns*: quæ solum ita aptanda est: *Ergo nullum factum naturaliter videns est cæcus*.

256. Defectu etiam identitatis in modo significandi non est bona hæc conversio: *Generans est essentia Divina: ergo essentia Divina est generans*: quia terminus *Generans* in conversa accipitur substantive pro Patre; & in convertente sumitur adjective pro ipsa essentia Divina; hæc enim diversitas reddit vitiosam eam conversionem.

257. Denique penes acceptionem, & suppositi-

positionem necessaria est perfecta identitas; si enim termini convertentis latius, aut pro pluribus, vel sub diversâ suppositione accipiantur, proclive erit in falsitatē incidere. Ex hoc capite ista: *Aliqua species est homo*: non convertitur in hanc: *Ergo aliquis homo est species*: quia *homo* in una sumitur simpliciter, in aliâ personaliter.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quænam propositiones simpliciter convertantur?

258. STatuo 1. Universalis negativa convertitur simpliciter. Ita cum Aristotele fere omnes. Prob: quia si ex hac vera: *Nullus homo est lapis*: non sequatur hæc: *Nullus lapis est homo*: dabuntur duæ contradictoriæ simul veræ: sed hoc est impossibile, ut alibi late deduximus: ergo universalis negativa convertitur simpliciter. Minor est certa.

259. Suadetur maior: quia si non sequitur alia, sequetur illius contradictoria: *Ergo aliquis lapis est homo*; cum è duabus contradictoriis altera necessario sit vera: sed tunc si homo, qui est lapis, vocetur adamas, colligitur contradictoria primæ vera in hunc modum per syllogismum expositorium tertiæ figuræ: *Adamas est lapis: Adamas est homo: ergo aliquis homo est lapis*: ergo.

260. Arg. 1. Hæc: *Nulla navis est necessaria*

ria ad navigandum: est universalis negativa: sed non convertitur in istam: *Ergo nullum necessarium ad navigandum est navis*: ergo. Resp. neg. min. si utraque propositio sumatur in suppositione determinatâ, in quo sensu solũ prima est vera; cum sensus sit: *Nulla navis determinate est necessaria ad navigandum.* Si tamen non sit eadem suppositio in utraque; quid mirum non convertatur?

261. Arg. 2. *Nulla essentia Divina est generans*: non convertitur in istam: *Nullum generans est essentia Divina*: hæc enim est falsa; cum Pater, qui generat, sit essentia Divina: ergo. Resp. neg. conseq: quia assertum est de negativâ universali vera, qualis non est, quæ affertur in exemplum; cum sit de subjecto singulari. Si vero sumatur pro Personis, est falsa.

262. Inst. Bona est conversio negativæ singularis in universalem, ut patet in hac: *Petrus non est albus*: *ergo nullum album est Petrus*: ergo non obstat conversioni defectus universalitatis in supra data propositione. Resp. conc. antec; si terminus singularis sit incõmunicabilis, & neg. conseq: cum enim natura Divina communicetur Personis, ideo ibi non sit similis conversio.

263. Arg. 3. Hæc est negativa vera: *Nullus puer fuit senex*: sed illius convertens: *Ergo nullus senex fuit puer*: est falsa: ergo. Resp. neg. min: quia si prima faciat hunc sensum, ut potest;

test: *Nullus puer passus est senectutem*, secunda erit vera, si ita disponatur: *Ergo nullus passus senectutem est puer*. Vel dic hic solum agi de propositionibus de præsenti.

264. Arg. 4. Universalis negativa falsa non convertitur in falsam: ergo neque vera in veram. Resp. neg. antec: quia cum negativa universalis distribuat pro omni tam subjectum, quam prædicatum; non potest convertens non esse falsa, si conversa falsificetur. Hoc ab exemplis fiet magis perspicuum, si singula passim obvia perpendantur.

SECUNDA RESOLUTIO.

265. STatuo 2. Particularis affirmativa convertitur simpliciter. Prob: quia si ex hac: *Aliquis homo est albus*: non sequitur ista: *Ergo aliquod album est homo*, sequetur ejus contradictoria: *Nullum album est homo*: sed hæc non sequitur; cum enim convertatur in illa contradictoriam primæ: *Nullus homo est albus*, erunt duæ contradictoriæ simul veræ: ergo sequitur alia.

266. Arg. 1. Non est bona conversio: *Aliquis homo desinit esse frigidus*: *ergo aliquid frigidum desinit esse homo*: ergo. Resp. neg. cons. ideo enim conversa est vera, & convertens falsa; quia non fit subjectum convertentis totum prædicatum

futuri, debet resolvi in aliam, in quâ ponatur verbum de præsenti. Sic etiam convertitur hæc: *Plato videt cæcum: ergo videns cæcum est Plato.*

QUÆSTIO TERTIA.

Quænam propositiones convertantur per accidens?

271. Dico 1. Universalis affirmativa convertitur per accidens. Ita fere omnes. Prob: quia si ex hac: *Omnis homo est animal*: non sequitur hæc: *Ergo aliquod animal est homo*: sequetur illius contradictoria: *Ergo nullum animal est homo*: & hæc convertetur in hanc veram contrariam primæ: *Nullus homo est animal*: sed duæ contrariæ non sunt veræ: ergo hæc non sequitur, sed alia.

272. Arg. 1. Utraque hæc propositio est vera: *Omnis homo est animal*: *ergo omne animal est homo*: nam *animal* in conversâ est restrictum ad solos homines; & verum est, quòd omne animal restrictum ad solos homines sit homo: ergo fit conversio in totum? Resp. neg. antec., & illius probationem: quia prædicatum *animal* est universale ad omnes suas species.

273. Arg. 2. *Omnis homo albus est homo*: non convertitur in hanc: *ergo aliquis homo est homo albus*: nam hæc est contingens, quæ non potest sequi ex alia necessaria: ergo. Resp. cum P. P.

C. C. hic neg. antec. & illius probationem: quia ea propositio, prout est convertens, est necessaria: nam homo necessario est albus possibiliter, in quo sensu ex alia sequitur.

274. Arg. 3. Ex his: *Omne ridens est homo: ergo aliquis homo est ridens*: conversa est vera, & convertens falsa, si de facto nullus homo rideat: ergo universalis affirmativa non convertitur in partem. Resp. neg. antec: quia *ridens* potest sumi quoad convenientiam, in quo sensu utraque est vera. Si vero sumatur quoad existentiam, prima erit falsa, de quâ non loquimur.

275. Inst. Ista: *Aliquod ridens non est homo*: est impossibilis in facta suppositione: sed est contradictoria hujus: *Omne ridens est homo*: ergo hæc est necessaria, & vera, licet *Ridens* sumatur quoad existentiam: ergo. Resp. neg. mai: cum enim sit negativa, & de subjecto non supposito, sive non supponente, est vera in præfata suppositione.

276. Arg. 4. Si ex ista: *Omne B est A*: non sequitur hæc: *Omne A est B*: sequetur contradictoria: *Aliquod A non est B*: sed tunc si *A* vocetur *C*, per syllogismum expositorium colligetur contradictoria primæ, ut: *C. est A: C. non est B: ergo aliquod B non est A*: ergo ne hoc sit verum, universalis affirmativa convertenda est simpliciter.

§. Resp. neg. min: quia in tertia figura non fit

fit syllogismus expositorius recte concludens, qui constet majori affirmativa, & minori negativa. Patet hoc clarius, si ea forma aptetur terminis significativis, ut si dicas: *Leo est animal: Leo non est homo: ergo homo non est animal:* ibi enim datur ea forma cum antecedente vero, & falso consequente.

277. Arg. 5. *Omnis homo est risibilis:* ita convertitur: *Omne risibile est homo:* ergo universalis affirmativa convertitur simpliciter. Resp. neg. conseq: quia loquimur de conversione formali; qualis non est, quæ adducitur in argumentum; cum solum fiat ratione materiæ, quatenus prædicatum conversæ non latius patet subjecto: secus esset, si latiùs pateret.

SECUNDA RESOLUTIO.

278. Dico 2. Universalis negativa etiam convertitur in partem. Prob. 1: quia ex istâ: *Nullus homo est lapis:* sequitur hæc: *Nullus lapis est homo:* ergo etiam illius particularis: *Aliquis lapis non est homo.* 2. quia aliter vera esset subcontraria oppositæ: *Aliquis homo est lapis:* contradicens primæ: *Nullus lapis est homo:* in quam hæc: *Nullus homo est lapis:* converteretur; quod non est concedendum.

279. Arg. Hæc propositio: *Nullum corpus est album:* est vera, si nulla existat albedo: sed

convertens: *ergo aliquod album non est corpus*: est falsa; cum omne album sit necessario quantum: ergo. Resp. non bene converti, quia mutatur suppositio: in 1. propositione *Album* supponitur non existens; non ita in 2. ut notat P. Alphons. Inst. Dial. lib. 4. c. 11. n. 7.

280. Quæres: an particularis negativa convertatur formaliter? Negandum: quia aliter daretur antecedens verum, & consequens falsum, ut si dicas: *Aliquod animal non est homo: ergo aliquis homo non est animal.* Sivero sit particularis universalis negativæ veræ, poterit converti ratione illius; esto non ita sit ratione sui.

281. Arg. 1. Bona est conversio: *Aliquis homo non est albus: ergo aliquod album non est homo*: ergo. Resp. neg. antec. de conversione formali; ibi enim solum fit conversio ratione materiæ. Hoc liquet, si materia varietur, & dicas: *Aliquod album non est cygnus: ergo aliquis cygnus non est albus*: consequens enim est falsum, & antecedens verum.

282. Arg. 2. *Aliquod animal non est homo*: est vera; quia *Animal* supponitur v. g. pro equino: sed solum pro eodem debet supponi in hac: *Aliquis homo non est animal*: ergo erit vera, & prima in eam convertetur. Resp. neg. min: quia negatio posita ante animal, cum sit malignantis naturæ, illud distribuit pro omnibus copulative.

QUÆS-

QUÆSTIO QUARTA.

Quomodo fiat conversio in propositionibus singularibus?

283. DIco 1. Propositio constans utroque extremo singulari convertitur simpliciter, sive sit affirmativa, ut: *Petrus est hic homo: ergo hic homo est Petrus*: sive negativa sit, ut: *Socrates non est Plato: ergo Plato non est Socrates*: nunquam enim dabitur consequens falsum, vero existente antecedente.

284. Objicies. Hæc est vera: *Hoc frigidum est hæc aqua*: & ista potest esse falsa: *Hæc aqua est hoc frigidum*: siquidem aqua potest existere naturaliter sine hoc frigore: ergo. Resp. neg. antec. quoad secundam partem: nam licet hoc ita possit esse absolute, non ita est ex suppositione, quod hoc frigidum sit hæc aqua; & per hoc satisfit probationi.

285. Dico 2. Propositio de subjecto singulari, & prædicato communi, si sit affirmativa, convertitur in particularem, ut: *Petrus est albus: ergo aliquod album est Petrus*: si vero sit negativa, in particularem, ut: *Petrus non est lapis: ergo aliquis lapis non est Petrus*: & etiam in universalem, ut: *Ergo nullus lapis est Petrus*.

286. Objicies, Non bene fit conversio:

Deus factus est homo: ergo aliquis homo factus est Deus: ergo. Resp. neg. conseq: ideo enim ibi deficit conversio; quia mutatur suppositio: nam in prima *Homo* sumitur pro naturâ humanâ, & in aliâ pro supposito Divino, quod non admittit participium *Factus*. Et adhuc ulterius

287. Roboratur solutio; quia bona erit conversio, si, invariatâ suppositione, ita disponatur: *Deus factus est homo: ergo aliquid, quod factum est homo, est Deus*. Sic similiter debet converti illa: *Homo factus est albus: ergo aliquid, quod factum est album, est homo*: sicque de aliis similibus; quia concreta communiter supponuntur pro subjectis.

288. Dico 3. Propositio de subjecto particulari, & prædicato singulari, si sit affirmativa, convertitur in partem, ut: *Aliquis homo est Petrus: ergo Petrus est aliquis homo*: sivero sit negativa, non convertitur, ut patet in hac: *Aliquis homo non est Petrus: ergo Petrus non est aliquis homo*. De his conversionibus egit Lusitanus Aristoteles P. Fons. lib. 3. Instit. c. 8.

QUÆSTIO QUINTA.

Quæ propositiones convertantur per contrapositionem?

289. Resolvo 1. Universalis affirmativa simplex convertitur simpliciter

pliciter. Ita P.P.C.C.& alii communiter. Prob: quia si ex hac: *Omnis homo est animal*: non sequitur ista: *ergo omne non animal est non homo*: verum erit ejus contradictorium cum antecedente, scilicet: *ergo aliquod non animal non est non homo*: sed hoc est falsum: ergo fiet conversio.

290. Minor constat: quia duplex contradictoria non potest esse simul vera: sed hoc ita esset; nam hæc: *Aliquod non animal non est non homo*: infert istam: *Aliquod non animal est homo*: & hæc aliam: *Aliquis homo non est animal*: hæc autem contradicit illi primæ: *Omnis homo est animal*: ergo non sequitur hæc: *Aliquod non animal non est non homo.*

291. Idem patet incipiendo à terminis infinitis: si ex hac: *Omne non animal est non homo*: non sequitur: *ergo omnis homo est animal*: sequetur contradictoria: *Aliquis homo non est animal*: sed hæc infert istam: *Aliquis homo est non animal*: quæ ita convertitur: *aliquod non animal est homo*: ex qua infertur contradicens primæ: *ergo aliquod non animal non est non homo*: ergo ne hoc dicatur, debet admitti conversio.

292. Arg. 1. Ex his: *Omnis homo est opinabilis*: *ergo omne non opinabile est non homo*: secunda est falsa: aliter vera erit illius particularis: *Aliquod non opinabile est non homo*: & convertetur in istam: *Aliquod non homo est non opinabile*: hæc autem est falsa: nam quidquid est *Non homo*, potest

terminare opinionem: ergo.

293. Resp. neg. conseq: quia resolutio procedit de propositionibus, quarum termini possint absolute infinitari: at non ita se habet terminus *opinabilis*, sicut neque *cogitabilis, intelligibilis, apprehensibilis*, ut supra stabilivimus d. 1. à n. 88. Vocantur *supertranscendentes*; quia dicuntur de omnibus rebus veris, sed non de iis solis.

294. Arg. 2. Ex his: *Omne animal est coloratum: ergo omne non coloratum est non animal*: secunda est falsa; nam leo jam est non coloratus, quin sit non animal: ergo conclusio non subsistit, saltem in contingentibus. Resp. neg. antec. & illius probationem: quia utraque propositio sumitur quoad existentiam, & de leone non existente non affirmatur: *Non coloratum*.

295. Arg. 3. Si nullus homo rideat, hæc est vera: *Omne non lapis est non ridens*: sed convertens: *ergo omne ridens est lapis*: est falsa, cum convertatur in istam: *Aliquis lapis est rideus*: ergo. Resp. neg. conseq: ideo enim deficit conversio; quia destruitur suppositio conversæ; in hac enim supponitur privatio risûs, & in convertente existentia risûs.

296. Additur dici posse convertentem: *Omne ridens est lapis*: habere sensum conditionatum hoc pacto: *Si aliquid est rideus, illud est lapis*: ut placet P. P. C. C. hic q. 2. artic. 1. §. *His igitur*

tur omissis. Si arrideat solutio, illos consule: securior tamen est, & clarior responsio proxime data numero antecedente, & cohæret nostræ doctrinæ.

297. Arg. 4. *Omne animal sapiens est homo*: non convertitur in istam: *ergo omne non homo est non animal sapiens*: hæc enim est falsa; cum leo sit non homo, quin sit non animal; & Angelus sit non animal, quin sit non sapiens: ergo. Resp. neg. cons: loquimur enim de propositionibus non complexis; & ideo dixi: *Affirmativa simplex.*

ALIÆ DECISIONES.

298. Resolvo 2. Particularis negativa necessaria convertitur simpliciter: nam si ex ista: *Aliquod animal non est homo*: non sequitur: *ergo aliquod non homo non est non animal*: vera erit contradictoria: *Omne non homo est non animal*: & ita convertetur: *Omne animal est homo*: quæ contradicit primæ: ergo ne hoc admittatur, danda est conversio.

299. Idem ostenditur incipiendo à terminis infinitis: *Aliquod non homo non est non animal*: *ergo aliquod animal non est homo*: si enim hæc non sequatur, vera erit contradictoria: *Ergo omne animal est homo*: quæ convertenda est in hanc: *Omne non homo est non animal*: sed hæc contradicit primæ conversæ: ergo.

300. Re-

300. Resolvo 3. Particularis affirmativa non convertitur per contrapositionem. Prob: quia cum antecedente vero datur consequens falsum: nam ista est vera: *Aliquod non homo est non lapis*: lignum enim est non homo, & non lapis: hæc autem: *ergo aliquis lapis est homo*: in quâ illa deberet converti, est aperte falsa: ergo.

301. Resolvo 4. Universalis negativa convertitur in partem per contrapositionem. Prob: quia bene sequitur: *Nullus homo est lapis: ergo aliquod non lapis non est non homo*: aliter vera erit contradictoria convertentis: *Omne non lapis est non homo*: quæ convertetur ita: *Omnis homo est lapis*: hæc autem contrariatur primæ conversæ: *Nullus homo est lapis*: ergo concedenda est conversio, ne demus duas contrarias simul veras.

302. Idem nituntur probare P. P. C. C. lupra citati n. 296. §. *Diximus*, incipiendo à terminis infinitis, & afferunt in exemplum hanc propositionem: *Nullum non homo est non animal*: sed minus bene. Nam hæc est falsa; cum vera sit ipsius contradictoria: *Aliquod non homo est non animal*: ut patet in ligno: conversio autem exigit simultaneam veritatem conversæ, & convertentis.

303. Signanter dixi: *In partem*: quia nullatenus convertitur simpliciter, sive in totum. Nam hæc est vera: *Nullus homo est lapis*: & ejus convertens: *ergo nullum non lapis est non homo*: est falsa;

falsa; cum vera sit ipsius contradictoria: *Aliquod non lapis est non homo*: nam equus est non lapis, & non homo. Incipiendo à terminis infinitatis sic.

304. Idem ostenditur; quia ex hac: *Nullũ non homo est non irrationale*: non sequitur: *ergo nullum irrationale est non homo*: quia est vera ejus contraria: *Omne irrationale est non homo*. Scio primam propositionem non esse in rigore de termino infinito; cùm in terminis necessariis, & simplicibus vix assignari possit universalis negativa vera, ut notãt hic P. P. C. C., sed pro illa inservit.

QUÆSTIO SEXTA.

Quæ, & qualis sit æquipollentia propositionum de inesse?

305. Assero 1. Æquipollentia est: *Concordia duarum enuntiationum oppositarum inter se, ablata, vel adjuncta particula Non.* Unde propositiones oppositæ idẽ valent, dum fiunt æquipollentes; id enim denotat nomen *æquipollentia*: Hæc autem concordia multifariam fit, multisque regulis, & ideo

306. Assero 2. Propositiones oppositæ tripliciter per æquipollentiam concordantur, Ita communiter. Ad meliorem intelligentiam regularum aliqua sunt prænotanda: 1. particula *Non* addita propositioni affirmativæ, reddit eam negati-

gativam; addita vero negativæ facit affirmativam. 2. Si addatur falsæ, constituit veram; & falsam, si veræ.

307. Prima regula. Negatio præposita subjecto cujusque propositionis facit eam æquipollentem suæ contradictoriæ. Quare hæc: *Omnis homo est animal*: contradictorie opposita huic: *Aliquis homo non est animal*: fit ipsi æquivalens, si ponatur negatio ante subjectum hoc modo: *Non omnis homo est animal.*

308. Idem erit è converso: si ponas negationem ante subjectum particularis hoc pacto: *Non aliquis homo non est animal*: manet æquipollens universali. Nam ut negatio præposita subjecto universalis, eam reddit particularem; ita præposita particulari, eam reddit universalem. Valet eadem regula in propositionibus singularibus, ut patebit consideranti.

309. Secunda regula. Negatio postposita subjecto propositionis universalis, eam reddit æquipollentem suæ contrariæ. Unde hæc: *Omnis homo est animal*: contraria huic: *Nullus homo est animal*: ipsi æquivalet, si negatio postponatur subjecto in hunc modum: *Omnis homo non est animal.* Idem fiet perspicuum in aliis exemplis.

310. Tertia regula. Negatio posita ante, & post subjectum unius subalternæ reddit eam æquivalentem alteri. Unde hæc: *Non aliquis homo*

homo non est albus: æquivalet huic: *Omnis homo est albus.* Item è converso hæc: *Non omnis homo non est albus*: æquivalet isti: *Aliquis homo est albus.* Has regulas comprehendunt Dialectici hoc carmine.

Præ contradic. Post contra. Præ, postque sub alter.

§. Unum monet P. Fonseca, nempe hanc tertiam regulam non valere in subalternata negativa: cum jam habeat postpositam negationem, non est negatio iterum postponenda, sed potius tollenda. Nam idem efficies auferendo negationem positam, atque non positam ponendo. Unde: *Non aliquis homo est justus*: æquivalet huic: *Nullus homo est justus.*

311. Notæ, & signa, quibus propositiones fiunt æquipollentes, à fortiori sunt æquipollentia inter se, & his versibus declarantur.

Non omnis, *Quidã non.* Omnis non, quasi *Nullus.*
Nonnullus, *Quidam.* Sed Nullus non, valet *Omnis.*
Non aliquis, *Nullus.* Non quidã non, valet *Omnis.*
Non alter, *Neuter.* Neuter non, pollet *Uterque.*

QUÆSITUM QUADRUPLEX.

312. QUæres 1. an detur æquipollentia inter subcontrarias? Negandum: quia si negatio postponatur subjecto affirmativæ, manet eadem cum negativa, ut: *Aliquis homo non est justus*; si præ-

præponatur, manet universalis, & opposita alteri ut subalternatæ; v. g. *Non aliquis homo est justus: Aliquis homo non est justus*: si præponatur, & postponatur, manet contradictoria, ut: *Non aliquis homo non est justus: Aliquis homo non est justus.*

313. Quæres 2: an propositio de prædicato infinito, & negativa de prædicato finito sint æquipollentes? Negandum: quia propositiones æquipollentes idem significant: hoc autem non visitur in iis propositionibus. Nam hæc: *Petrus non est lapis*: significat Petrum non esse lapidem; & hæc: *Petrus est non lapis*: significat Petrum esse aliquid, quod non sit lapis.

314. Quæres 3: an omnis propositio indefinita in materia necessaria æquipolleat universali? Negat P. Fonf. 3. Inst. c. 6: quia hæc: *Animal est homo*: est in materia necessaria, quin æquipolleat universali: *Omne animal est Homo*: hæc enim est falsa; at illa vera, quæ solum conceditur ut particularis; aliter tamen philosophandũ in materia impossibili.

315. Contrarium nostræ resolutioni est cõmune veluti affatum inter Philosophos; sed ut verum habeat, limitandum est ad propositiones, quarum subjecta finita minus late pateant prædicato, ut: *Homo est animal*: æquivalet huic: *Omnis homo est animal*. Dixi: *Subjecta finita*: quia hæc: *Non corpus est substantia*: non æquivalet

isti:

isti: *Omne non corpus est substantia.*

316. Hinc scies 1. omnem propositionem in materia necessaria esse veram, si sit affirmativa: non ita, si negativa. Scies 2. in materia impossibili propositionem affirmativam semper esse falsam; secus negativam. Scies 3. in materia contingenti tam propositionem affirmativam, quam negativam modo esse veram, modo falsam, Ita P. Oviedo in sumul. controv. 3. pun. 3. n. 1.

317. Quæres 4: an propositio de inesse, sive absoluta, in materia contingenti æquipolleat particulari? Resolutio affirmativa communis est: quia hæc: *Homo est albus*: communiter conceditur, licet solum unus homo sit albus: ergo ideo est; quia censetur æquipollere huic particulari: *Aliquis homo est albus.*

318. Observa obiter 1. quancunque propositionem universalem æquipollere aggregationi omnium suarum singularium: siquidem distribuit subjectum pro omnibus copulative. Observa 2. propositionem particularem æquipollere disjunctioni omnium suarum singularium: disjungit enim suum subjectum pro omnibus.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quanam sit æquipollentia conjunctarum?

319. Dico 1. Copulativa omnino affirma-

firmativa, id est, & conjunctionis, & verborum, æquipollet disjunctivæ omnino negativæ. Patet in hac: *Petrus est albus, & Paulus est albus*: quæ æquivalet huic: *Non aut Petrus non est albus, aut Paulus non est albus.* Unde negativa habet triplicem negationem, nempe ante, & post subjectum primæ simplicis, & post subjectum secundæ propositionis simplicis.

320. Sed quid dicendum, si propositio copulativa sit affirmativa solius conjunctionis, ut si dicas: *Et Petrus non est albus, & Paulus non est albus*? Tunc dicetur æquivalens propositioni disjunctivæ negativæ solius conjunctionis, ut: *Non aut Petrus est albus, aut Paulus est albus.* Nota ibi unicam poni negationem ante subjectum primæ simplicis.

321. Dico 2. Copulativa omnino negativa æquipollet disjunctivæ omnino affirmativæ. Sic ista: *Non & Paulus non est justus, & Plato non est justus*: æquivalet huic: *Aut Paulus est justus, aut Plato est justus.* Si sit negativa solius conjunctionis, æquipollet disjunctivæ affirmativæ solius conjunctionis. Igitur hæ sunt æquipollentes: *Non & Socrates currit, & Plato currit*: *Aut Socrates non currit, aut Plato non currit.*

322. Unum monet hic P. Fons. lib. 3. Instit. c. 22. ut firma sit conjunctarum æquipollentia. Si oppositæ copulativæ constent simplicibus contrariis, disjunctivæ debent confici ex sub-

subcontrariis; si vero illæ constent contradictoriis; hæ constituantur etiam ex contradictoriis tum inter se, tum etiam respectu illarum, ex quibus copulativæ constantur. Inspice subjecta schemata.

Copulativæ constantes simplicibus contrariis.

Æquipollentes inter se	Æquipollētes inter se.
1	2
Et omnis homo est albus, & omnis equus est albus.	*Et nullus homo est albus, & nullus equus est albus.*
Non aut aliquis homo non est albus, aut aliquis equus non est albus.	*Non aut aliquis homo est albus, aut aliquis equus est albus.*

Æquipollētes inter se.	Æquipollētes inter se.
3	4
Non & nullus homo est albus, & nullus equus est albus.	*Non & omnis homo est albus, & omnis equus est albus.*
Aut aliquis homo est albus, aut aliquis equus est albus.	*Aut aliquis homo non est albus, aut aliquis equus non est albus.*

Copulativæ constantes simplicibus contradictoriis.

Æquipollētes inter se.	Æquipollētes inter se.
1	2
Et aliquis homo est albus, & aliquis equus est albus.	*Et nullus homo est albus, & nullus equus est albus.*
Non aut nullus homo est albus, aut nullus equus est albus.	*Non aut aliquis homo est albus, aut aliquis equus est albus.*

Æquipollētes inter se.	Æquipollētes inter se.
3	4
Non & nullus homo est albus, & nullus equus est albus.	*Non & aliquis homo est albus, & aliquis equus est albus.*
Aut aliquis homo est albus, aut aliquis equus est albus.	*Aut nullus homo est albus, aut nullus equus est albus.*

323. Arg. 1. Conditionales non æquipollent copulativis: ergo neque copulativæ disjunctivis. Resp. neg. conseq: diversitas est: quia quælibet æquipollens infert aliam, ut patebit perpendenti singulas æquipollentes: hoc autem visitur in copulativis comparatione disjunctivarum, ut planum est ex dictis à n. 319. At non ita se res habet in conditionalibus cum copulativis.

324. Declaratur hoc: quia licet hæc copulativa: *Non & Socrates est homo, & non est animal*: inferatur ex hac conditionali: *Si Socrates est*

homo; est animal, non illam infert. Non enim est bona consecutio: *Non & Socrates est lapis, & non est animal: ergo si Socrates est lapis, est animal*: si quidem antecedens est verum; & consequens falsum.

325. Arg. 2. Conditionales non æquivalent disjunctivis: ergo neque copulativæ. Resp. neg. conseq. disparitas est: quia æquipollentes habent eandem conditionem: sed disjunctivæ communes æquipollent copulativis, ut supra stabilivimus duabus resolutionibus, quibus non æquivalent conditionales juxta dicta numero antecedenti: ergo non sunt æquipollentes.

326. Dixi: *disjunctivæ communes*: quia si loquamur de disjunctivis veterum habentibus sensum exclusivum, ut cum dicimus: *Petrus, vel Paulus legit*: id est, *è duobus unus tantum legit*, idē dicendum est: quia hæ non possunt esse contrariæ, subcontrariæ, nec subalternæ inter se; ne violentur leges oppositarū juxta dicta n. 345. At conditionales possunt habere ea genera oppositionum: igitur non æquipollent disjunctivis cum exclusione.

DISPUTATIO TERTIA.

De Propositione Modali.

HActenus egimus de natura, & proprietatibus

tibus propositionis de inesse, sive absolutæ, in qua adnotatur prædicatum convenire subjecto; reliquum est aperire quidditatem, & proprietates propositionis modalis.

SECTIO PRIMA.

De Quidditate, & Quantitate Modalium.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit propositio Modalis?

1. REsolvo 1. Propositio modalis est: *Oratio de infinitivo enuntiativa modi, quo prædicatum convenit subjecto.* Particula *Oratio* habet locum generis; reliquæ ponuntur vice differentiæ: per id enim distinguitur propositio modalis ab absoluta, quod solum illa explicet modum, quo prædicatum convenit subjecto. Dicitur: *De infinitivo*: quia dictum in modali explicatur per verbum infinitivi modi.

2. In propositione modali duo sunt notanda, nempe dictum, & modus. Dictum est propositio absoluta, quæ se habet ut subjectum: modus est syncategorema, quod modificat, & determinat propositionem ad certam materiam. Unde *Hominem esse animal* est dictum, & *nec-*

esse

esse est modus in hac propositione: *Hominem esse animal est necesse.*

3. Modus dupliciter ponitur in propositione: 1. ut adverbium, ut si dicas: *Homo necessario est animal*: 2. ut nomen, v. g. si dicas: *Hominem esse album est contingens.* Hoc secundo modo exercet rationem prædicati in propositione: & primo modo solum modificat unionem prædicati cum subjecto, & nihil amplius.

4. Duplex est subjectum, & prædicatum in qualibet propositione modali: siquidem dictum est principale subjectum, & modus est prædicatum: item una pars dicti est subjectum, & alia prædicatum. At non debet modus affirmari reflexe: aliter propositio, quæ censeatur modalis, erit absoluta, ut si dicas: *Hominem mori est possibile, est propositio modalis.*

5. Resolvo 2. Propositio modalis est quadruplex. Ita communiter. Prob.: quia propositiones modales diversificantur pro numero, & diversitate modorum: sed hi sunt quatuor, nempe *Necesse, Possibile, Contingens, & Impossibile*: ergo tot sunt genera propositionum modalium. Adhuc tamen pro meliori rei intelligentia

6. Explicatur modorum natura: *Necesse* est rem non posse non esse, ut: *Hominem esse animal. Contingens* est, quod potest esse, & non esse, ut: *Petrum esse album. Possibile* (quod habetur commune necessario, & contingenti) est, quod po-

test esse, sive non possit non esse, sive possit. *Impossibile* est, quod esse non potest, ut: *Hominem esse lapidem.*

7. *Necesse*, & *Impossibile* sunt modi universales: *Contingens*, & *Possibile* sunt modi particulares. Si tamen cuilibet præfigatur negatio, universales fient particulares, & è converso. Hic currit eadem Philosophia, quæ admittitur in signis propositionum absolutarum, nimirum: *Omnis, Nullus, Aliquis, Aliquis non.*

8. An vero modi dicantur universales: quia extendunt dictum ad omne tempus, ut vult P. Fons. 3. Inst. c. 9; an quia *necesse*, & *impossibile* continent sub se *possibile*, seu *contingens*, & *possibile non*, seu *contingens non*, ut contendit P. Oviedo in summulis controv. 3. pun. 9. n. 5. alii deliberent, ne compendium longius protrahamus.

QUÆSTIO SECUNDA.

An duplex tantum sit præcipua materia modalium?

6. Affirmativa sententia cōmunis est, quam tenet P. Fonseca 3. Instit. c. 10. Prob: quia materia propositionum modalium desumitur à convenientia modi cum dicto: sed hæc vel semper datur, vel nunquam: ergo est duplex tantum, nempe necessaria, & impossibilis: nam si semper convenit modus, est necessaria;

si

si nunquam, est impossibilis.

10. Stabilitur amplius 1: quia nil mediat inter convenientiam modi cum dicto, & non convenientiam: ergo non datur alia materia. 2: quia omnis propositio modalis est necessario vera, aut falsa: sed solum in materia necessaria est necessario vera, & necessario falsa in materia impossibili: ergo materia præcipua modalium est tantum duplex.

11. Arg. 1. Propositio modalis etiam versatur circa materiam contingentem: ergo non est tantum duplex. Resp. dist. antec: circa materiam contingentem, ut præcipuam materiam, nego ob supra datam probationem: minus præcipuam, conc. antec: quia hæc est materia, quæ cernitur inter subjectum, & prædicatum dicti, de qua non loquimur; & ideo nego conseq.

12. Arg. 2. Modus est quadruplex: ergo etiam materia. Resp. neg. conseq. diversitas est: quia tot sunt modi, quot habitudines prædicati cum subjecto: hæc autem habitudo est quadruplex juxta dicta n. 5. At materia est convenientia, & disconvenientia modi cum dicto: hæc autem diversitas est tantum duplex juxta dicta in fundamento: ergo etiam materia.

13. Arg. 3. Hæc propositio: *Petrum esse album est contingens*: est contingens: ergo etiam præcipua illius materia est contingens. Resp. neg. antec: quia affirmat prædicatum necessari-

um de subjecto, nempe contingentiam de re contingenti. Hæc: *Petrus est albus*: est contingens; quia affirmat prædicatum contingens, quale est *esse album* respectu Petri.

14. Arg. 4: Hæc propositio: *Peccatorem damnari est necesse*: est vera: sed non est impossibilis; cum Deus de potentia absoluta potuerit illum non damnare; item ex eodem capite non est necessaria: ergo datur alia materia præter numeratas. Resp. neg. mai. in sensu minoris: quia si loquamur de lege extraordinaria, ea propositio est necessario falsa.

15. Inst: Ea propositio saltem de lege ordinaria est vera: sed Deus potuit illum salvare: ergo. Resp. dist. mai: est vera in sensu composito cum peccato, conc: in sensu diviso, nego mai., & concessa minori in secundo sensu distinctionis, nego conseq: quia in primo sensu est materia necessaria, & in secundo est impossibilis: quia solum in hoc repugnat prædicatum.

16. Totum explicatur amplius: modales sumuntur in sensu diviso, & in sensu composito: igitur illa propositio in sensu diviso habet hunc sensum: *Peccator, qui modo damnatur, non potuit salvari*: & est falsa. Sensus compositus est: *Peccator qua peccator, sive prout decedens in statu damnationis, necessario damnabitur*: quod verum est.

QUÆS-

QUÆSTIO TERTIA.

Quotuplex sit quantitas, & qualitas modalium?

17. STatuo 1. Quantitas præcipua modalium est duplex. Ita P. Fonſ. 3. Inſtit. c. 9. Prob: quia quantitas propria modalium est ea, quæ designatur per modos: ſed hæc ſolum est universalis per modos universales, & particularis per modos particulares; ergo est duplex. Unde illa propoſitio est universalis, quæ afficiatur modo universali; & particularis, quæ particulari.

18. Signanter dixi: *Quantitas præcipua*: quia minus principalis datur in ſubjecto minus principali, ſcilicet dicti; & ſecundum hanc modales etiam variè appellantur. Si dictum ſit universale, propoſitio vocatur universalis; particularis, ſi particulare; indefinita, ſi indefinitum; ſingularis, ſi ſingulare. Hæc materia est eadem atque in abſolutis.

19. Statuo 2. Qualitas eſſentialis est duplex, nempe affirmatio, vel negatio. Prob: quia qualitas eſſentialis est diſtinctivum eſſentiale ſpecierum, in quas dividitur propoſitio modalis: ſed hæc dividitur in affirmativam, & negativam: illa vero diſtinguitur ab alia per affirmationem, hæc per negationem: ergo duplex est

quali-

qualitas essentialis.

20. Observa obiter propositionem modalem dici affirmativam, vel negativam ab affirmatione, vel negatione modi: quia hæc denominatio tota debet desumi ab eo verbo, & copula, quæ unit, aut dividit prædicatum præcipuũ à principali subjecto: sed subjectum est dictum, & modus prædicatum: ergo debet dici affirmativa, vel negativa à negatione, vel affirmatione modi.

§. Roboratur: quia modus in iis enuntiationibus perinde se habet, ac verbum in absolutis, ut notant P. P. C. C. in explanatione ad caput tertium de Priori Resolut: sed in absolutis nisi verbum negetur, enuntiatio erit affirmativa, ut patet in hac: *Lignum est non candidum*: ergo ita erit in modalibus, nisi modus negetur.

21. Statuo 3. Qualitas, quæ communiter dicitur accidentalis, etiam est duplex. Prob: quia hæc qualitas est veritas, & falsitas: sed omnis propositio vera est, vel falsa: ergo duplex est qualitas accidentalis. Nota omnem modalem esse necessario veram, aut falsam: quia vel est necessaria, quæ necessario est vera; vel impossibilis, quæ necessario est falsa.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Oppositione, & Æquipollentia modalium?

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit oppositio, & quotuplex?

22. DIco 1. Oppositio modalium est: *Pugna duarum propositionum ex dicto, & modo constantium.* Approbatur definitio: quia clare explicat definitum; & traditur per genus, & differentiam: particula: *Pugna duarum propositionum*: innuit convenientiam genericam oppositionis modalis cum absoluta: aliæ explicant rationem differentialem.

23. Dico 2. Oppositio modaliũ est quadruplex, nimirũ cõtradictoria, contraria, subcontraria, & subalterna. Prob: quia oppositio in absolutis propositionibus est quadruplex: ergo ita erit in modalibus. Nota tamen rigorosam oppositionẽ solum esse triplicẽ: subalterna enim est minus propria, sicut diximus in absolutis.

24. Ad meliorem rei notitiam pro comperto habe 1. modos universales, nempe *Necesse*, & *Impossibile* opponi contrarie; sicut *Omnis*, & *Nullus*: modos vero particulares *Possibile*, & *Contin-*

Contingens non ſubcontrarie; ſicut *Aliquis, & Aliquis non*, ut late deduximus agentes de oppoſitione propoſitionum abſolutarum.

25. Pro comperto habe 2. *Neceſſe, & Poſſibile non* opponi contradictorie inter ſe; ſicut *Omnis, & Aliquis non.* Sic ſimiliter *Impoſſibile, & Poſſibile* contradicuntur; ſicut *Omnis, & Aliquis non.* Denique opponuntur ſubalterne *Neceſſe, & Poſſibile, Impoſſibile, & Contingens non*: ſicut *Omnis, & Aliquis; Nullus, & Aliquis non.*

26. Hinc ſatis intelligitur natura modalium oppoſitarum: contrariæ, ut bene advertit P. Fonſ. Inſtit. lib. 3. c. 11., debent conſtare eodem modo univerſali, & dictis contradictoriis: ſubcontrariæ eodem modo particulari, & dictis contradictoriis: contradictoriæ eodem dicto, ſed modis contradictoriis: ſubalternæ demum dictis, & modis contradictoriis. Totum aperiunt ſubjectæ tabellæ.

1	2
1. *Omne animal eſſe vivens eſt neceſſe.*	1. *Aliquod animal non eſſe vivẽs eſt neceſſe.*
2. *Omne animal eſſe vivens non eſt poſſibile.*	2. *Aliquod animal non eſſe vivens non eſt poſſibile.*
3. *Omne animal eſſe vivens non eſt contingens.*	3. *Aliquod animal non eſſe vivens non eſt contingens.*

4. *Om-*

4. *Omne animal esse vivens est impossibile.*	4. *Aliquod animal non esse vivens est impossibile.*

3	4
1. *Aliquod animal non esse vivens non est necesse.*	1. *Omne animal esse vivens non est necesse.*
2. *Aliquod animal non esse vivens est possibile.*	2. *Omne animal esse vivens est possibile.*
3. *Aliquod animal non esse vivens est contingens.*	3. *Omne animal esse vivens est contingens.*
4. *Aliquod animal non esse vivens non est impossibile.*	4. *Omne animal esse vivens non est impossibile.*

27. In tabellis appositis patent omnes oppositiones modalium: prima, & secunda exprimit contrarias propositiones; prima, & tertia subalternas; idem est de secunda, & quarta; prima, & quarta contradictorias; idem est de secunda, & tertia. Quælibet tabella, ut vides, habet suo ordine propositiones de *Necesse*, *Possibili*, *Contingenti*, & *Impossibili*: ex dicto communi, quas per numeros respondentes facile comparabis.

REGU-

REGULÆ CLARIORES

Ad assignandam cuilibet modali aliam oppositam.

28. PRima regula. Propositioni modali assignabis contradictoriam, si mutes solum modum per negationem. Ex hoc capite huic: *Petrum currere est necesse*: contradictoria erit ista: *Petrum currere non est necesse*. Idē currit in quacumque alia propositione modali, sive hæc constet dicto singulari, sive cōmuni, ut patebit consideranti.

29. Secunda regula. Si velis assignare propositioni modali suam contrariam, immuta solū dictum, illi præfigendo negationem ante verbū infinitivi modi. Unde contraria hujus: *Petrum currere non est possibile*: erit ista: *Petrum non currere non est possibile*: ibi enim solum dictum immutatur, & non modus, ut planum est.

30. Tertia regula. Ut assignes subcontrariam alicui modali, affirma, vel nega dictum, ne invertas modum. Sic subcontraria hujus: *Petrum non currere non est necesse*: erit ista: *Petrum currere non est necesse*. Dixi: *Affirma, vel nega dictum*: quia si in prima affirmatur dictum, hoc negari debet in alia; si vero negetur in prima, affirmabitur in alia.

31. Quarta regula. Ut assignes subalternanti

nanti suam subalternatam, vel è contra; affirma negatum, & nega affirmatum alterius, sive sit dictum, sive modus. Quare hujus subalternantis: *Petrum non currere est necesse*: ista erit subalternata: *Petrum currere non est necesse*: cum ibi affirmetur negatum primæ, & negetur ipsius affirmatum, ut cernere vales.

NOTANDUM SPECIALE.

32. PRopositiones modales ex *contingenti* non sumuntur hic aliqua saltem ex parte pro *contingenti* proprie dicto, & secundo modo. Hoc ut probe dignoscas, scies *contingens* tripliciter considerari: 1. prout idem est, atque *necesse*. 2. prout significat rem posse esse, & etiam posse non esse. 3. prout idem est, atque *possibile*. At solum in 2. modo sumitur *contingens* proprie dictum. His perstrictis,

33. Suadetur notandum: quia tam varia est conditio harum propositionum, ut vix ullam oppositionis legem servent cum aliis modalibus, ut bene notat P. Fons. lib. 3. Instit. c. 10. prope finem. Patet hoc: quia hæc subalterna est vera: *Omnem hominem esse animal non est contingens*: & subalternata: *Aliquem hominem non esse animal est contingens*: erit falsa: hoc autem est contra legem subalternarum, ut statim dicemus: ergo.

34. Quod illa subalternata sit falsa: si *contingens*

tingens proprie tale sit, ostenditur: quia quid quid est contingens non esse, potest non esse: sed falsum est, quod aliquis homo possit non esse animal: ergo. Stabilitur: quia aliter vera erit ista: *Aliquem hominem esse animal est contingens*: sumpto *contingenti* in sensu stricto; quod non est dicendum.

31. Quæres, unde sit cognoscendum, an modus conveniat dicto, aut non? Hoc facile deprehendes, si ablato modo consideres solum dictum: si dictum sit necessarium, illi convenit modus *Necesse*; secus erit, si ita non sit. Idem similiter applica aliis modis. At propositio modalis poterit esse vera, licet dictum sit falsum, uti: *Petrum non esse vivens est impossibile.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Quænam sint leges oppositarum modalium?

36. DIco 1. Contrariæ non possunt esse simul veræ. Ita P. Fons. lib. 3. Inst. c. 11. & alii. Prob: quia si essent simul veræ, utique veræ essent earum subalternatæ, & consequenter verificarentur duæ contradictoriæ, ut cernitur: sed hoc non admittitur in propositionibus absolutis: ergo neque in modalibus, ubi currit eadem ratio.

37. Dico 2. Subalternans non potest esse vera,

Digitized by Google

vera, falsa existente subalternata. Ita ibidem P. Fonſ. Prob: quia ex veritate ſubalternantis colligitur veritas ſubalternatæ, & ex falſitate hujus illius falſitas, ut tritum eſt in abſolutis: ſed non eſt maior ratio, cur ita non ſit in modalibus: ergo ſubalterna non poteſt eſſe vera, ſi ſubalternata ſit falſa.

38. Dico 3. Contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ. Ita idem A. & alii. Prob: quia una propoſitio negat idem, quod alia affirmat: ergo impoſſibile eſt, quod utraque contradictoria ſit ſimul vera, aut falſa: aliter idē ſimul eſſet, & non eſſet, quod repugnat. Stabilitur: quia hoc non admittitur in abſolutis: ergo neque in modalibus.

39. Dico 4. Subcontrariæ non poſſunt eſſe ſimul falſæ. Prob. quia ſi ita eſſent, falſificarentur ſimul duæ contrariæ; cum harum falſitas colligatur ex illarum falſitate: ſed hoc repugnat; aliter duæ contradictoriæ eſſent ſimul falſæ; quod implicat, ut jam ſtabilivimus: ergo duæ ſubcontrariæ non poſſunt eſſe ſimul falſæ.

40. Non me præterit has propoſitiones: *Aliquod animal non eſſe vivens eſt contingens*: *Omne animal eſſe vivens eſt contingens*: eſſe quoad formam ſubcontrarias, & ſimul falſas, ſi *contingens* ſumatur 2. modo: ſed jam ſupra n. 32 advertimus hic non ſumi *Contingens* in eo ſenſu ob rationem ibi aſſignatam.

41. Arg. 1. Istæ: *Nullum album esse hominem non est contingens: Nullum albũ esse hominem est contingens:* sunt contradictoriæ: sed utraque est falsa: prima, quia est negativa, & distribuit subjectum copulative, habetque partem falsam: secunda, quia necesse est aliquod album, nempe cycnum, non esse hominem: ergo.

§. Resp. neg. min. quoad primam partem, & probationem illius: quia dictum universale propositionis de modo negato exponitur disjunctive juxta inferius dicenda n. 58. & 70; & tunc verum habet, cum necesse sit aliquod albũ, nempe cycnum, non esse hominem.

42. Arg. 2. *Aliquod animal non esse hominem non est necesse: Aliquod animal esse hominem non est necesse:* sunt subcontrariæ: sed sunt simul falsæ, ut patet: ergo. Resp. neg. suppositum in maiori, nimirum, quod subcontrariæ de *necesse* possint habere dicta subcontraria ob rationem factam in minori.

43. Idem est de contrariis de *necesse*, ne sint simul veræ, ut patet in his: *Aliquod animal esse hominem est necesse: Aliquod animal non esse hominem est necesse.* Idem dic de subalternis, ne subalterna sit vera, & falsa subalternata: ut: *Aliquod animal esse hominem est necesse: Aliquod animal non esse hominem non est necesse.*

44. Arg. 3. contra 2. conclusionem. Subalternans potest esse falsa, vera existente subalternata,

nata, ut visitur in his: *Petrum sedere est necesse: Petrum non sedere non est necesse*: prima enim est falsa, & secunda vera: ergo ita poterit esse è converso. Resp. neg. conseq.; disparitas est: quia non sufficit veritas particularis ad verificandum universalē; maxime vero falsitas ad illam falsificandum, ut probatur exemplo absolutarum.

NOTÆ ALIQUOT.

45. NOta obiter 1. Propositiones contrarias, subcontrarias, & subalternas de *necesse* posse constare dictis contrariis, ut: *Omnem hominem esse animal est necesse*: *Nullum hominem esse animal est necesse*: siquidem nil inde sequitur contra leges oppositarum: aliter se res habet in modalibus de *possibili, contingenti*, & *impossibili*; erit enim subalterna vera, & falsa subalternata, ut patebit consideranti.

46. Nota 2. modales contrarias, subalternas, & subcontrarias de *possibili, contingenti*, & *impossibili*, posse habere dicta subcontraria; cum nullum inde sequatur inconveniens: secus vero erit, si modales sint de *necesse*, ut patet ex dictis à n. 42. Hoc enim non aliter melius probari potest, quam ab exemplis, quibus res fit evidens.

47. Nota 3. dictum in contradictoriis debere esse omnino idem: nam si unum sit universale, alterum particulare; aut unum affirmatum,

aliud negatum, erunt contradictoriæ simul veræ, ut: *Omne animal esse hominem non est possibile: Aliquod animal esse hominem est possibile.* Item erunt simul falsæ, ut: *Nullum hominem esse animal est necesse: Omnem hominem esse animal non est necesse.*

QUÆSTIO TERTIA.

Declaratur Æquipollentia Modalium?

48. ÆQuipollentia modalis, sive in modo, potius est connexio veritatis unius propositionis cum alia, ut bene notat P. Isquierdus in Pharo Scientiarum, quam æquipollentia. Dixi: *sive in modo*: quia de æquivalentia in dicto nil hic habemus speciale: hoc enim alibi late deduximus agentes de æquivalentia propositionum absolutarum.

49. Pro æquipollentia modalium duo præcepta sunt observanda: primum, ut omnium æquipollentium modi sint ejusdem quantitatis, id est, universales, vel particulares. Secundum, ut modales de *possibili*, & *impossibili*, constent eodem dicto; hoc autem sit contradictorium dictis modalium de *necesse*. Ita P. Fonsec. lib. 3. Instit. c. 12.

50. Ad cognoscendam modalium æquipollentiam inculcat P. Fonsec. has voces: *Argutule*,

le, Veridica, Suntatavi, Qui referunt, quæ designant classes æquipollentium: primæ duæ contrarias, aliæ duæ subcontrarias. Primæ vocali cujuslibet dictionis correspondet propositio de *necesse*, secundæ de *possibili*, tertiæ de *contingenti*, & quartæ de *impossibili*.

51. In his dictionibus sunt quatuor vocales *A, E, I, V*: litera *A* denotat propositionem affirmativam modi, & dicti: *E* negativam solius dicti, & affirmativam ex parte modi: *I* negativam modi, & affirmativam dicti: *V* negativam ex parte modi, & dicti. Hanc vocalium significationem retinebis, si in memoriam revoces monosticum istud.

E dictum negat; I que modum; nihil A, sed V totũ.

52. Totam æquipollentiam modaliũ nullo negotio intelliges, si hactenus dicta rite advertas, & duo tradita præcepta observes: sed quoniam segnius irritant animos demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subjecta, tabellas subjicimus, ut illam facile mente teneas.

1		2
Ar- *Necesse est omnem hominem esse animal.*	Ve-	*Necesse est nullum hominem esse animal.*
gu- *Non possibile est aliquem hominem non esse animal.*	ri-	*Non possibile est aliquem hominem esse animal.*

tu- *Non contingens eſt aliquem hominē non eſſe animal.*	di- *Non contingens eſt aliquē hominem eſſe animal.*
le. *Impoſſibile eſt aliquem hominem non eſſe animal.*	ca. *Impoſſibile eſt aliquem hominem eſſe animal.*

3	4
Sunt *Non neceſſe eſt nullum hominem eſſe animal.*	Qui *Non neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal.*
a *Poſſibile eſt aliquem hominem eſſe animal.*	re- *Poſſibile eſt aliquem hominem non eſſe animal.*
ta- *Contingens eſt aliquem hominem eſſe animal.*	fe- *Contingens eſt aliquem hominem non eſſe animal.*
vi. *Non impoſſibile eſt aliquem hominē eſſe animal.*	runt. *Non impoſſibile eſt aliquem hominē non eſſe animal.*

53. Hac doctrina diligenter inſpecta, conſtat 1. omnes propoſitiones, quæ ibi reperiuntur in quavis eadem tabella, & claſſe, eſſe inter ſe æquipollentes. Conſtat 2. quamlibet propoſitionem ex prima claſſe eſſe contrariam omnibus ſecundæ, contradictoriam omnibus quartæ. Idem intellige quoad oppoſitionem ſubcontrariam, & ſubalternam.

54. Arg.

54. Arg. 1. In his: *Neceſſe eſt aliquod animal non eſſe hominem*: *Impoſſibile eſt omne animal eſſe hominem*: ſervantur regulæ aſſignatæ: ſed non ſunt æquipollentes; cum ſola ſecunda ſit falſa, eo quod illius dictum univerſale exponatur deſcenſu copulativo: ergo. Reſp. neg. min. & quod 2. propoſitio ſit falſa.

55. Suadetur hoc: quia in propoſitionibus de *impoſſibili*, & in ſenſu compoſito ex parte modi (in quo proxime aſſignatæ ſumi debent) dictum affirmativũ exponitur copulative ita: *Hoc animal eſſe hominem, & illud animal eſſe hominem eſt impoſſibile*; hoc autem eſt verũ; cum conjunctũ ex leone v.g. & Paulo non ſit homo.

56. Arg. 2. Hæ propoſitiones: *Non poſſibile eſt aliquod animal eſſe hominem*: *Neceſſe eſt nullum animal eſſe hominem*: habent regulas æquipollentiæ; cum dictum primæ ſit contradictorium dicto ſecundæ, & modi univerſales: ſed non ſunt æquipollentes; cum prima ſit vera, eo quod illius dictum exponatur disjunctive; & 2. ſit falſa: ergo.

57. Reſp. neg. min., & probationem illius quoad 1. partem: quia ea propoſitio in ſenſu diviſo exponitur copulative hoc pacto: *Et hoc animal eſſe hominem non eſt poſſibile, & hoc animal eſſe hominem non eſt poſſibile*: hoc autem falſum habet. Alia etiam eſt falſa; cum illius dictum univerſale ſimiliter exponatur.

58. Ratio hujus doctrinæ est: quia modus negatus efficit, ut dictum universale virtute sit particulare; & vice versa particulare virtute sit universale: ideo enim æquipollentiũ dicta contradictoria esse debent; quia modus in una est negatus, & in alia affirmatus, ut bene notant P. P. C. C. c. 3. de conversi. modalium q. 1. art. 1.

59. Arg. 3. Ex istis: *Contingens est nullum hominem esse animal: Non necesse est aliquem hominem esse animal*: prima est falsa, & 2. vera: siquidem ibi *Non necesse* est idem, atque *possibile*: sed hic servatur regula æquipollentiæ; ergo hæc non subsistit; non possunt enim propositiones esse æquipollentes, si solum una sit falsa.

60. Resp. neg. antec. quoad 2. partem, & insinuatam probationem illius: quia ea propositio est de modo negato; quod non haberet verum, si tales modi idem omnino forent. Unde ii modi proxime assignati solum assimilantur in eo, quod ambo sint particulares; cum quo stat notabilis differentia, & diversitas utriusque.

61. Arg. 4. Ex regulis supra datis sequitur esse æquipollentes has propositiones: *Non contingens est nullum album esse hominem: Necesse est aliquod album esse hominem*: sed secunda est falsa, & prima vera: ergo. Resp. neg. 1. partem min: quia sumitur in sensu composito ex parte dicti, & in sensu diviso ex parte modi.

62. Explicantur termini, & solutio: ex par-

parte modi est sensus divisus, cum modus singillatim conjungitur singulis propositionibus singularibus, per quas dictum exponitur. Sensus compositus datur, cum modus simul, ac semel conjungitur omnibus propositionibus singularibus, exponentibus dictum propositionis juxta dicta n. 57. & n. 55.

63. Ex parte dicti sensus divisus tunc datur, quando modus ostendit, qua ratione prædicatum conveniat subjecto seorsim sumpto, v.g. ab aliqua forma. Sensus compositus est, cum modus indicat rationem, qua prædicatum convenit subjecto conjuncto cum forma. Igitur propositio habet hunc sensum verum: *Necesse est aliquod subjectum album esse hominem*: cum sit propositio de subjecto formaliter conjuncto.

§. Observa hic cum P.P. C.C. supra cit. q. 2. art. 1. modales solum proprie sumi in sensu diviso: nam in sensu composito pene transeunt in absolutas. Nam hæc: *Contingens est nullum lapidem moveri*: facit hunc sensum compositum: *Nullus lapis movetur, est contingens*: qui significandi modus est proprius absolutarum propositionum.

64. Hactenus discussimus æquipollentiam modalium ex dicto communi, in quibus est major difficultas: quæ enim constant dicto singulari, facile deprehendentur, si observes easdem regulas, & præcepta, quæ supra dedimus n. 49.

Adhuc

Adhuc tamen nota hanc doctrinam non intelligi de propositionibus de *contingenti* secundo modo.

65. Additur hæc limitatio: 1. quia sicut eæ propositiones vix ullam habent oppositionem cum aliis, ita est circa æquipollentiam. 2. quia ex his: *Possibile est aliquem hominem esse animal*: *Contingens est aliquem hominem esse animal*: prima est vera, & secunda in eo sensu est falsa, quod non admittitur in æquipollentibus.

QUÆSTIO QUARTA.

Unde sit cognoscendus descensus in Modalibus?

66. HÆc doctrina utilissima sane est ad cognoscendam veritatem, vel falsitatem modalium: nam prima facie apparent falsæ, quæ re ipsa sunt veræ. Pro cujus rei declaratione assignant P. P. C. C. c. 3. de convers. Modal. q. 1. art. 1. v. *At rogabis* 4. regulas: duas pro habentibus modum affirmatum, alias pro habentibus modum negatum.

67. Prima regula. Sub subjecto propositionum de modo affirmato, si sit universale, descendendum est copulatim, vel copulative: si vero fuerit particulare, disjunctim, vel disjunctive. Ex quo hæc propositio: *Necesse est omnem homi-*

hominem esse animal: ita exponitur: *Necesse est hunc hominem, & istum, & illum esse animal.*

§. Excipe subjectum universalis negativæ de *Impossibili*; hoc enim debet exponi per descensum disjunctum, vel disjunctivum, ut in ista: *Impossibile est nullum animal esse hominem*; sin minus hæc propositio erit falsa; cum tamen habeat istam æquipollentem veram: *Necesse est aliquod animal esse hominem.*

68. Secunda regula. Sub prædicato affirmativæ, tam particularis, quam universalis, descenditur disjunctim: & sub prædicato negativæ, qualiscumque ea sit, descendendum est copulatim, vel copulative. Hoc dignoscitur ex natura negationis complectentis omnia, quæ præcedit, & invenit post se.

69. Tertia regula. Sub propositionibus de modo negato descendi potest eisdem modis, quibus diximus descendendum esse sub affirmatis; semper tamen debent accipi in sensu composito ex parte modi: quia aliter propositio habens æquipollentem veram erit falsa, ut patebit ex dictis n. 55. si ita non sumatur.

70. Quarta regula. Sub dictis universalibus propositionum de modo negato descendendum est disjunctive; sub particularibus copulative. Id intelligitur, cum tales propositiones accipiuntur in sensu diviso, ut patet ex dictis n. 57. Quid sit descensus, & quomodo explicen-

tur

tur illius ſpecies, diximus d. 1. à n. 248.

71. Tota hæc doctrina fundatur: 1. quia ſi aliter ex ponantur, ſæpius reperies aliquas enuntiationes falſas; cum tamen in bono ſenſu habeant æquipollentem veram, ut patebit perpendenti aliquas, de quibus ſupra mentionem fecimus à n. 54. 2: quia in propoſitionibus de modo negato ita exigit vis ipſius modi juxta dicta n. 58.

SECTIO TERTIA

De Converſione propoſitionum Modalium.

72. COnverſio modalium, qua hic deagimus, non eſt commutatio extremorum principalium enuntiationis, ut ſcilicet modus, qui prædicatur de dicto, fiat ſubjectum, & dictum prædicatum, ut monet hic P. Fonſ: ſed eſt commutatio extremorum, quæ in dicto continentur, ſervata qualitate dicti, & veritate totius modalis.

73. Addit Luſit. Ariſtoteles P. Fonſeca modum nunquam poſſe eſſe ſubjectum, ſi modales efferuntur per verba infinitiva, licet ponatur in principio orationis: quia ſemper copula verbalis intelligitur ex parte modi, quacumque ratione partes orationis commutentur.

§. Ob-

§. Obſerva hic obiter qualitatem, & quantitatem modalium non eſſe hoc loco ſpectandam penes modum, ſed penes prædicatum, & ſubjectum dicti, ut videlicet eæ dicantur affirmativæ, vel negativæ, univerſales, particulares, indefinitæ, quarum dicta talia ſint. Dixi: *Hoc loco*: quia aliud ſentiendũ abſolute juxta dicta à n. 17.

QUÆSTIO PRIMA.

Quomodo convertantur Modales de neceſſe?

74. DIco 1. Modalis de *neceſſe* affirmato, & dicto univerſali etiam affirmato convertitur in partem. Ita cum Ariſt. P.P. C.C. de Priori Reſolut. c. 3. q. 1. artic. 1, P. Fonſ. Inſtit. Dialect. lib. 3. c. 13. Prob: quia ex antecedente vero nunquam dabitur conſequens falſum: ergo recta eſt, & formalis ea converſio propoſitionis in partem.

75. Stabilitur: quia ſi ex hac: *Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal*: non ſequitur iſta: *Neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem*: concederetur ut vera propoſitio repugnans primæ converſæ, v. g. hæc: *Non neceſſe eſt aliquem hominem eſſe animal*: ſed hoc non eſt admittendum: ergo neque negandum bonam eſſe converſionem.

76. Maior conſtat: quia aliter ſequeretur hæc contradictoria convertentis: *Non neceſſe eſt aliquod*

aliquod animal esse hominem: sed ista repugnat huic: *Necesse est aliquem hominem esse animal*: illatæ ex prima conversa: ergo etiam ipsi conversæ; quidquid enim repugnat consequenti bonæ consequentiæ, repugnat etiam antecedenti.

77. Arg. 1. Ista: *Necesse est omne grammaticum esse hominem*: est vera; cum sit falsa ipsius contradictoria: *Non necesse est omne grammaticum esse hominem*: sed illius convertens: *ergo necesse est aliquem hominem esse grammaticum*: est falsa: ergo, &c. Resp. neg. mai., & illius probationem: quia homo non postulat absoluta necessitate grammaticam.

78. Inst. Hæc: *Possibile est aliquod grammaticum non esse hominem*: est falsa: sed æquipollet contradictoriæ propositionis conversæ: ergo ea contradictoria est falsa. Resp. neg. mai: verificatur enim pro aliqua grammatica in concreto, cujus subjectum sit aliquod vivens rationale possibile diversæ speciei ab homine.

79. Arg. 2. Ex hoc antecedente vero: *Necesse est omne ambulans moveri*: sequitur hoc consequens falsum: *ergo necesse est aliquod se movens ambulare*: ergo. Resp. neg., quod consequens sit falsum: sicut enim 1. propositio solum est necessario vera ex suppositione deambulationis, ita est 2. ex suppositione motûs, qui est deambulatio.

80. Dico 2. Particularis affirmativa de *necesse*

cesse affirmato convertitur simpliciter. Ita A. A. supra citati. Prob. quia hæc conversio est bona: *Necesse est aliquem hominem esse animal: ergo necesse est aliquod animal esse hominẽ*: sin minus hujus contradictoria: *Non necesse est aliquod animal esse hominem*: erit vera: sed hoc est falsum: ergo bona est conversio.

81. Suadetur minor: quia tunc vera erit hæc illi æquipollens: *Contingens est nullum animal esse hominem*: & etiam ista: *Nullum animal est homo*: quæ ita convertitur: *Nullus homo est animal*: cum vero quidquid est, contingit esse, vera erit hæc: *Contingens est nullum hominem esse animal*: & illius æquipollens: *Non necesse est aliquem hominem esse animal*: hæc autem est aperte falsa, cum contradicat primæ conversæ: ergo.

82. Oppones. Non bene convertitur: *Necesse est aliquem hominem esse animal: ergo necesse est aliquod animal esse hominem*: siquidem 1. est vera, & 2. falsa; cum hæc habeat istam æquipollentem falsam: *Impossibile est nullum animal esse hominem*: exponitur enim copulative: ergo. Resp. neg. antec., & 2. partem probationis ob dicta n. 67.

83. Dico 3. Universalis negativa de *necesse* affirmato convertitur simpliciter. Ita communiter. Prob: quia ex hac: *Necesse est nullum hominem esse lapidem*: sequitur ista: *Necesse est nullum lapidem esse hominem*: aliter sequetur contradicto-

dictoria: *Non necesse est nullum lapidem esse hominem*: & tandem modo dicto n. 81. deducetur hæc vera contradicens 1. conversæ: *Non necesse est nullũ hominem esse lapidem*: sed hoc non est dicendum: ergo.

84. Dico 4. Particularis negativa de *necesse* affirmato nullo modo convertitur. Prob: quia alioquin ex antecedente vero daretur consequens falsum, ut patet in hac: *Necesse est aliquod animal non esse hominem: ergo necesse est omnem hominem, vel aliquem hominem non esse animal*: ergo.

DIFFICILIOR SENSUS.

85. Dico 1. Universalis affirmativa de *necesse* negato nullatenus convertitur. Ita communiter. Prob: quia daretur antecedens verũ, & consequens falsum, ut: *Non necesse est omne vivens esse sensitivum: ergo non necesse est omne sensitivum esse vivens*: vel: *ergo non necesse est aliquod sensitivum esse vivens*: ergo.

86. Dico 2. Particularis affirmativa de *necesse* negato convertitur simpliciter in particularem. Prob: quia ex hac: *Non necesse est aliquem hominem esse album*: bene infertur: *ergo non necesse est aliquod album esse hominem*: alioquin dabitur ut vera illius contradictoria: *Necesse est aliquod album esse hominem*: sed est falsa: ergo.

87. Ostendo

87. Ostenditur minor: quia si esset vera; ex illa inferretur hæc: *ergo necesse est aliquem hominem esse album*: juxta doctrinam supra traditam n. 80, ubi stabilivimus particularem affirmativam de *necesse* affirmato converti simpliciter: sed hæc, utpote contradicens propositioni conversæ veræ, est falsa: ergo etiam alia, ex qua infertur.

88. Dixi: *Simpliciter in particularem*: quia per accidens etiam convertitur in universalem: nam 1. conversa posita n. 86. etiam convertitur in istã: *Non necesse est omne album esse hominem*: ne dicamus inferri contradictoriam ipsius: *Necesse est omne album esse hominem*: hæc enim est falsa; cum sit contradictoria conversæ, quam supponimus veram.

89. Dico 3. Universalis negativa de *necesse* negato convertitur simpliciter in universalem. Prob: quia ex hac: *Non necesse est nullum hominem esse animal*: sequitur: *ergo non necesse est nullum animal esse hominem*: aliter vera erit hujus contradictoria: *Necesse est nullum animal esse hominem*: sed hæc est falsa: ergo sequitur alia assignata.

90. Patet proxima minor: quia alioquin vera erit ipsius convertens: *Necesse est nullum hominem esse animal*: hæc autem necessario est falsa; cum sit contradicens 1. conversæ veræ. Quod hujus convertens sit vera; satis liquet;

quia habet istam æquipollentem veram: *Possibile est aliquod animal esse hominem.*

91. Oppones: Propositio illata, nempe: *ergo non necesse est nullum animal esse hominem*: est falsa: ergo non stat conversio. Antecedens constat: quia aliter etiam verificaretur particularis ipsius, nimirum: *Non necesse est aliquod animal non esse hominem*: sed ista est falsa; cum illius contradictoria sit vera: ergo.

92. Resp. neg. antec., & illius probationem: quia solum ex propositione vera, quæ sit virtute universalis, debet inferri particularis vera: at propositio conversa, de qua est quæstio, est virtute particularis ob dicta n. 58. Ex hac instantia deducitur eam propositionem nullatenus converti in particularem: hoc adhuc amplius.

93. Solidatur: quia ex hoc antecedente vero: *Non est necesse nullum vivens esse animal*: inferretur hæc falsa: *ergo non est necesse aliquod animal non esse vivens.* Idem esset in hac conversione: *Non necesse est nullum hominem esse album*: *ergo non necesse est aliquod album non esse hominem*; hoc autem non est admittendum.

94. Repl: Non est necesse hoc album, designato Petro, non esse hominem: ergo verum est consequens proxime illatum. Resp. neg. cons: quia illius dictum, licet particulare, sit virtute universale juxta superius dicta n. 58; cum

modus

modus ibi negetur; ac proinde debebat verificari pro omni albo; quod fieri nequit, ut patet in cycno.

95. Dico 4. Particularis negativa de *necesse* negato convertitur per accidens in universalem. Prob: quia si ex hac: *Non necesse est aliquē hominem non esse animal*: non infertur ista: *ergo non necesse est nullum animal esse hominem*: vera erit huic contradicens: *Necesse est hullum animal esse hominem*: sed est falsa: ergo.

96. Minor liquet: quia aliter vera esset ista, quæ per regulas Aristotelis deduceretur: *Necesse est nullum hominem esse animal*: & per consequens hæc: *Necesse est aliquem hominem non esse animal*: cujus falsitas aperte constat; cum sit contradictoria 1. conversæ veræ: ergo, ne hoc admittamus, dicendum est conversionem esse bonam.

97. Dixi: *per accidens in universalem*: quia minime convertitur in particularem; daretur enim antecedens verum, & consequens falsum, ut: *Non necesse est aliquem hominem non esse animal: ergo non necesse est aliquod animal non esse hominem*: hujus enim contradictoria: *Necesse est aliquod animal non esse hominem*: vera est.

98. Ad juvandam memoriam de conversione uniuscujusque propositionis de *necesse*, nota has 4. literas A, E, I, O: quælibet posita initio dictionum indicat modum esse solum affirmati-

vum, vel negativum; poſita in medio dictum univerſale, & particulare, affirmativum, vel negativum, juxta verſus: *Aſſerit A, negat E, &c.* poſita in fine concluſione deducendam. Ubi vero deſit tertia litera, intellige nullatenus converti propoſitionem. Igitur accipe monoſticum.

Monſtrat cæleſtem Domini doctrina tenorem,
Integer afflavit radiis nitor.

QUÆSTIO SECUNDA.

Explicatur converſio modalium de Impoſſibili.

99. REſolvo 1. Univerſalis affirmativa de *Impoſſibili* affirmato nullatenus convertitur. Prob: quia daretur antecedens verum, & conſequens falſum, ut: *Impoſſibile eſt omne animal eſſe hominem: ergo impoſſibile eſt omnem, vel aliquem hominem eſſe animal*: hæc enim eſt falſa; cum illius contradictoria verum habeat.

100. Reſolvo 2. Particularis affirmativa de *Impoſſibili* affirmato convertitur ſimpliciter in particularem, & per accidens in univerſalem. Prob: quia nunquam ex antecedente vero deducetur conſequens falſum: igitur bona eſt hæc converſio: *Impoſſibile eſt aliquem hominem eſſe lapidem: ergo impoſſibile eſt aliquem, vel omnem lapidem eſſe hominem.*

101. Resolvo 3. Universalis negativa de *impossibili* affirmato convertitur simpliciter in aliam universalem, & nullatenus in particularem. Prob: quia in 1. conversione nunquam sequitur consequens falsum, maximevero in secunda, ut: *Impossibile est nullum hominem esse animal: ergo impossibile est nullum animal esse hominem*: non vero: *aliquod animal non esse hominem.*

102. Resolvo 4. Particularis negativa de *Impossibili* affirmato convertitur per accidens in universalem; nonvero in particularem. Prob: quia hæc: *Impossibile est aliquem hominem non esse animal*: bene convertitur: *ergo impossibile est nullum animal esse hominem*: & nullatenus in hanc: *ergo impossibile est aliquod animal non esse hominem*: utpote falsam, cum illius contradictoria sit vera.

103. Missas facimus hic modales de *Non impossibili*: quia hæ convertuntur eodem prorsus modo, quo enuntiationes de *possibili*: in istis vero eadem est ratio, atque in modalibus de *necesse* affirmato. Propositiones de *non possibili* sequuntur conversionem modalium de *Impossibili*; hæ autem convertuntur, ut modales de *necesse* negato, ut patet ex supra dictis.

***

QUÆSTIO TERTIA.

Qualis sit conversio modalium de contingenti?

104. ANte resolutionem scies 1. hic sumi *contingens* proprie, & in secundâ acceptione, quam explicuimus supra n. 32. Scies 2. modales de contingenti etiam habere sensum compositum, & sensum divisum: pro illorum explicatione vide, quæ diximus à n. 62. His præscitis, circa modales in sensu diviso

105. Dico 1. Particularis, & universalis affirmativa de contingenti affirmato convertuntur in particularem. Prob: quia ex hac: *Contingens est omnem hominem vigilare*: & ex hac: *Contingens est aliquem hominem vigilare*: rectè infertur ista: *ergo contingens est aliquod vigilans esse hominem.*

106. Limitant hanc resolutionem de conversione propositionis particularis ad solam materiam contingentem P.P.C.C. hic q. 2. art. 2. §. *Tertia regula*: nam si illius dictum sit in materia necessaria, cum antecedente vero falsum erit consequens, ut: *Contingens est aliquod quale esse hominem: ergo contingens est aliquem hominem esse qualem.*

§. Displicet aliquibus hæc limitatio; judicant enim eam propositionem assignatam pro con-

convertente esse veram. Ratio illis est: quia hæc propositio: *Contingens est aliquem hominem esse album*: est vera: ergo etiam alia; cum *esse qualem* includatur in *esse album*: & de quocumque affirmatur contingenter species, affirmatur etiam genus in ipsa inclusum.

107. Dico 2. Universalis negativa de *contingenti* affirmato solum convertitur in partem. Prob: quia ex hac: *Contingens est nullum hominem esse album*: recte infertur: *Contingens est aliquod album non esse hominem*: non ita vero: *ergo contingens est nullum album esse hominem*: siquidem cycnus est albus, & necessario non est homo.

108. Oppones. Aliquod album potuit esse, & non esse homo: ergo illud consequens: *Contingens est nullum album esse hominem*: est absolute verum. Resp. neg. cons: quia ea propositio distribuit subjectum dicti pro omni albo; ac proinde cum unum album necessario non sit homo, tota propositio manet falsa.

109. Dico 3. Particularis negativa de *contingenti* affirmato convertitur simpliciter, nisi materia sit necessaria. Patet in hac: *Contingens est aliquem hominem non esse album*: *ergo contingens est aliquod album non esse hominem*: ubi antecedens, & consequens verum est.

110. Dixi: *Nisi materia sit necessaria*: quia aliter erit vitiosa conversio, ut cernitur in ista:

Contingens est aliquod quale non esse hominem: ergo contingens est aliquem hominem non esse qualem; consequens enim est falsum; cum homo sit necessario *qualis* ratione risibilis, & intellectûs.

MAIOR DIFFICULTAS.

111. DIco 1. Universales tam affirmativæ, quam negativæ de *contingenti* negato nullatenus convertuntur. Patet 1. pars in hac: *Non contingens est omne album esse hominem*: ex qua falso inferes: *ergo non contingens est omnem, aut aliquem hominem esse albũ*: consequens enim est aperte falsum; cum habeat contradictorium verum.

112. Secunda pars ostenditur in hac: *Non contingens est nullum album esse hominem: ergo non contingens est nullum hominem, vel aliquem hominem non esse album*: siquidem cum antecedente vero existit consequens falsum; cum verum sit ipsius contradictorium, nimirum: *Contingens est omnem, vel aliquem hominem esse album.*

113. Dico 2. Particularis affirmativa de *contingenti* negato solum convertitur in universalem. Prob: quia ex hac vera: *Non contingens est aliquem hominem esse qualem*: vere sequitur: *ergo non contingens est omne quale esse hominem*: falso tamen inferes: *ergo non contingens est aliquod quale esse hominem.*

114.

114. Hanc reſolutionem intellige cũ P.P. C.C. ſupra citatis art. 3. v. *ſecunda aſſertio*, niſi fiat eadem ſuppoſitio, quæ in converſione particularis de *contingenti* affirmato. Nam in exemplis, in quibus aſſignatum eſt antecedens verũ, & conſequens falſum, dictum erat in materia neceſſaria, ut ex probatione conſtat: deinde *eſſe qualem* ſumitur abſolute.

115. Dico 3. Particularis negativa de *contingenti* negato ſolum convertitur in univerſalem, ſi ſtemus proxime dictis n. antecedenti. Prob: quia ex hac vera: *Non contingens eſt aliquem hominem non eſſe qualem*: vere inferes: *ergo non contingens eſt omne quale non eſſe hominem*: falſo tamen: *ergo non contingens eſt aliquod quale non eſſe hominem.*

§. Ut facile mente teneas, quomodo convertatur unaquæque propoſitio modalium de *contingenti* affirmato, vel negato, relegenda ſunt, quæ ſupra diximus n. 98 circa intelligentiam harum 4. literarum *A, E, I, O*; eandem doctrinam ibi traditam applica monoſtico huic.

Regnant ſole aliqui, bicolor cortina niteſco
Ignati ſobole ——.

QUÆSITA INCIDENTIA.

116. QUæres hic 1. an particularis negativa de *contingenti* negato con-

convertatur etiam per oppositam qualitatem in universalem affirmativam? Affirmant P.P.C.C. loco supra cito. v. *Tertia assertio.* Prob: quia juxta Arist. c. 16. de convers. per oppositam qualitatem ex negativa universali colligitur universalis affirmativa: sed negativa sequitur ex particulari negativa, ut vidimus proxime: ergo.

117. Ex eodem capite colligetnr universalis negativa ex particulari affirmativa de *contingenti* negato: quia universalis negativa colligitur ex universali affirmativa: sed hæc infertur ex particulari affirmativa, ut probavimus n. 113: ergo. Ad pleniorem intelligentiam modalium de *contingenti* proprie dicto, & in secunda acceptione

118. Assignatur ratio præcedentis doctrinæ: quia in hoc genere modalium affirmativæ, & negativæ ejusdem quantitatis sunt æquivalentes. Si enim verum est dicere: *Contingens est omnem, vel aliquem hominem esse album*: vere quoque dicitur: *Nullum, vel aliquẽ hominẽ non esse album*: quod provenit ex ipsa *contingentis* conditione.

119. Quæres 2. Quomodo exponantur modales de *contingenti* secundo modo acceptæ in sensu diviso? Si *contingens* sit affirmatum, exponuntur per duas de *non necesse* ab illa dissimiles in quantitate dicti copulative sumptas, alteram affirmativam dicti, alteram negativam: quia con-

contingens hoc modo eſt illud, quod poteſt eſſe, & non eſſe: ergo ad ſuam veritatẽ requirit duas modales de *poſſibili*, quibus æquipollent eæ de *non neceſſe*.

120. Si enuntiationes ſint de *contingenti* negato, exponendæ ſunt per duas de *neceſſe* etiam diſſimiles in quantitate dicti disjunctive ſumptas, quarum una ſit affirmativa, & alia negativa ejuſdem dicti: quia ad veritatem propoſitionis de *contingenti* affirmato requiritur veritas duarum de poſſibili, quæ æquipollent duabus de *neceſſe*: ergo ad ejus falſitatem ſufficit unius falſitas: id enim, quod ſufficit ad falſitatem unius propoſitionis, ſatis eſt ad veritatem ſuæ contradictoriæ.

121. Adhuc tamen nota 1. exponentes propoſitionis particularis affirmativæ, aut negativæ de *contingenti* affirmato, debere eſſe veras pro eodem ſingulari, ne expoſita ſit falſa, & exponentes veræ, ut: *Contingens eſt aliquod animal eſſe hominem*: eſt falſa; exponentes vero ſunt veræ, ut: *Poſſibile eſt aliquod animal eſſe hominem*: *Poſſibile eſt aliquod animal non eſſe hominem*.

122. Nota 2. particularem affirmativam, aut negativam de *contingenti* negato ultra duas, exponentes exigere tertiam, ne utraque exponens ſit falſa, & expoſita vera, ut: *Non contingens eſt aliquod animal eſſe hominem*: vel quia *poſſibile eſt omne animal eſſe hominem*, vel quia *poſſibile*

bile eſt nullum animal eſſe hominem: vel quia *poſſibile eſt animal partim eſſe hominem, partim non eſſe hominem.*

123. Limitanda ſunt proximè dicta n. antecedenti ad modales de *non contingenti*, quando prædicatum duas tantum habeat partes, quarũ altera neceſſario inſit, altera neceſſario non inſit ſubjecto, ut patet in exemplis proximè aſſignatis: quia ſi ita non ſumatur dictum, vera erit tertia exponens, & falſa expoſita.

124. Totum liquet exemplo: hæc: *Non contingens eſt aliquod quale eſſe hominem*: eſt falſa; vera enim eſt illius contradictoria: & ex his exponentibus: *vel quia poſſibile eſt omne quale eſſe hominem*: vel quia *poſſibile eſt nullum quale eſſe hominem*: vel quia *poſſibile eſt quale partim eſſe hominem, partim non eſſe hominem*: tertia eſt vera; quia riſibile neceſſario eſt homo, hinnibile nõ ita.

125. Hucuſque diſcuſſimus de modalibus de *contingenti* in ſenſu diviſo; reliquum erat de illis agere in ſenſu compoſito: ſed quia minus frequenter uſurpantur in hoc ſenſu, intactas relinquimus. Quid hac in re certum eſſe poſſit, volenti ab uno ſenſu ad alium in diſputatione digredi ſubjiciunt P.P. C.C. citati q. 3. per totam.

126. Pro ibi legendis unum dicimus: propoſitio de *contingenti* affirmato exponitur per duas de *non neceſſe* copulative ſumptas; de *contingen-*

Digitized by Google

tingenti vero negato exponitur per duas de *necesse* disjunctive acceptas: at semper una habere debet idem dictum cum expositâ, & altera contradictorium.

PARS TERTIA
De natura, & forma syllogismi.

DISPUTATIO PRIMA

De multiplicitate, & natura syllogismi.

SYllogismus græce idem est, atque *Discursus* latine, sive *Ratiocinatio*: in hac ratione convenit cum aliis argumentationibus; sed quoniam aliquid habet speciale, per quod à pluribus differat, ideo hic breviter perstringenda est illius quidditas, & natura.

SECTIO PRIMA

De natura, & quidditate syllogismi.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit syllogismus?

1. SYllogismus definitur: *Argumentatio,*

tio, in qua quibusdam positis aliud quidpiam ab iis, quæ posita sunt, necessario evenit, eo quod hæc sunt. Recta est definitio; quia clare explicat definitum, & illud distinguit à reliquis: deinde traditur per differentiam, & genus proximum, qualis est argumentatio.

2. Explicantur particulæ: *Quibusdam positis* denotat præmissas debere esse duas; cum una non sufficiat ad legitimã illationẽ: nõ tamen plures duabus; quia aliter non recte fiet, nec colliget syllogismus. *Aliud quidpiam ab iis, quæ posita sunt*, innuit conclusionem fore diversam à qualibet præmissa, ut excludantur puræ consequentiæ.

3. *Necessario evenit, eo quod hæc sunt*, significat vim syllogismi inevitabilem; eo enim in recta forma dispositio, sequitur infallibiliter conclusio ob connexionem, quam habet cum præmissis. Scies tamen particulam *necessario* positam in hac definitione solum indicare illationem necessariam *necessitate consequentiæ.*

4. Arg. 1. Syllogismus probabilis est verus syllogismus: & tamen non colligit necessario conclusionem; siquidem præmissæ probabiles non necessitant intellectum ad illam inferendam: ergo. Resp. neg. min., & illius probationem: quia positis præmissis, datur evidentia consequentiæ; & objectum evidens necessitat ad assensum.

5. Inst. Ea conclusio, utpote exposita falsi-

tati,

tati, potest negari: sed quod potest negari, non necessitat ad assensum: ergo. Resp. dist. mai: potest negari absolute, conc: ex suppositione præmissarum, nego mai: sin minus, intellectus illi assentiretur in præmissis, & eidem dissentiretur; quod manifestam involvit repugnantiã.

6. Arg. 2. Particula: *Aliud quidpiam necessario evenit*: non distinguit syllogismum à consequentia; cum etiam illi conveniat: ergo non est bona definitio. Resp. dist. antec: non distinguit se sola, conc; quia etiam consequentiæ competit inferri ex alio: non distinguit simul cum alia sequenti, *eo quod hæc sunt*, nego antec. & cons; quia tunc denotatur illatio vi formæ, quæ est differentia syllogismi.

7. Arg. 3. Syllogismus Hypotheticus concludit vi formæ: & tamen sæpe habet propositiones plures duabus: ergo non bene explicatur particula *Quibusdam positis*. Resp. neg. min: quanvis enim habeat simplices propositiones plures duabus, ex ipsis pluribus simplicibus fiunt duæ propositiones compositæ.

8. Arg. 4. Enthymema non comprehenditur in definitione assignata: & tamen habet ex se ipso concludere vi formæ: ergo ea definitio non est propria solius definiti, nec proinde bona. Resp. neg. min: quia solum concludit vi formæ, quatenus per additionem unius præmissæ transit in syllogismum.

QUÆS-

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum *Syllogismus includat præmissas & conclusionem?*

9. AFfirmativam sententiam tenent P.P. C.C. de Prior. resol. c. 1. q. 2. art. 2. v. *Hæc quæstio*, & alii. Prob: quia syllogismus est artefactum constans propositionibus ut materia proxima, & illarum complicatione ut forma: sed artefactum includit suam materiam, & formam: ergo. Firmatur: quia syllogismus est oratio, in qua, non ex qua, fit illatio: ergo includit præmissas, & conclusionem.

10. Arg. 1. Syllogismus est modus sciendi: sed sola conclusio est modus sciendi; nam præmissæ sunt cognitiones confusæ: ergo solum consistit in conclusione. Resp. neg. min., & illius probationem: quia præmissæ (dato quod sint cognitiones confusæ conclusionis) sunt cognitiones distinctæ sui objecti, nempe Medii: hoc autem sufficit, ut sint modus sciendi.

11. Arg. 2. Syllogismus causat conclusionem: sed idem non causat se ipsum: ergo non includit conclusionem. Resp. dist. mai: syllogismus inadæquate sumptus pro præmissis causat conclusionem, conc: adæquate sumptus, nego mai. ob dicta in minori; & etiam conseq. ob ra-

tionem

tionem factam in probatione quæstionis. Et adhuc ulterius.

12. Roboratur. 1: quia syllogismus essentialiter est tertia operatio intellectûs; ideo enim hæc in libris de Prior. resol. explicatur; quia in iis de syllogismo disseritur: sed 3. operatio essentialiter includit illationem: ergo. 2. quia enthymema non constat una solum propositione: ergo neque syllogismus solum duabus: ut enim se habet conclusio syllogismi ad duas, ita conclusio enthymematis ad unam.

13. Arg. 3. Discursus non includit conclusionem: ergo neque syllogismus. Resp. neg. antec. de discursu ex vi nominis: quia hic juxta commune coincidit cum syllogismo. Si vero sumatur stricte pro tertia operatione intellectûs, verum est antecedens: quia tunc solum est cognitio formaliter illativa adæquate distincta à mero judicio.

14. Arg. 4. Syllogismus, ut ait Aristoteles, constat duabus præmissis, & tribus terminis: ergo signum est, quod solum ex his coalescat. Resp. neg. conf: quia per id non negat Philosophus, quod syllogismus includat etiam conclusionem; ait enim 2. Physicor. tex. 31 hanc esse illius formam: ergo ibi solum loquitur de syllogismo inadæquate sumpto.

[illegible]

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum *Omnis, & solus syllogismus sit Argumentatio formalis?*

15. DIco 1. Omnis syllogismus perfectus est Argumentatio formalis. Ita P.P. C.C. supra citati art. 3. v. *Sit unica*, & alii communiter. Prob: quia syllogismus continens medium, sive argumentum, & concludens vi formæ, est argumentatio formalis: sed ita se habet omnis syllogismus perfectus, ut patet ex dictis à n. 2: ergo. Dixi: *Argumentatio formalis*: quia quod est solum consequentia formalis, latius patet.

16. Oppones. Hic syllogismus perfectus: *Omne grammaticum est sciens: omne grammaticum est homo: ergo aliquis homo est sciens*: non est argumentatio formalis: siquidem non concludit vi formæ; cum præmissæ sint necessariæ, adeoque perpetuo veræ; & consequens sit contingens, & consequenter expositum falsitati: ergo non stat conclusio.

17. Resp. 1. neg. antec., & 2. partem probationis illius: quia conclusio facit hunc sensum: *ergo aliquid, quod est homo, est sciens*: hæc autem est necessaria; cum ibi affirmetur pars de toto, in quo includitur. Vide dicta 2. part. d. 2. à n.

à n. 71. Quod utraque præmissa sit necessaria; patet: quia est propositio de extremo contingenter conjuncto ex parte subjecti: huic autem inest necessitas.

18. Resp. 2. neg. antec., & 1. partem probationis: utraque enim præmissa est contingens, ut sentiunt P.P. C.C. cit. art. 3. v. *Ad quintum argumentum*; quia vocabulum *Grammaticum* sumitur materialiter pro subjecto grammaticæ, ut ipsi notant c. 2. de convers. propos. q. 1. art. 2. v. *Aliorum sententia*; huic autem contingenter inest scientia; cum homo non exigat grammaticam necessitate absolutâ.

19. Dico 2. Solus syllogismus perfectus est argumentatio formalis. Ita P.P. C.C. supra cit. Prob. quia ut argumentatio sit formalis, nullus terminus debet esse in consequente, qui non sit in antecedente; maxime vero è contra: sed hæc duo solum reperiuntur in syllogismo perfecto, qui concludit vi formæ: ergo.

20. Maior constat: quia si prima pars non servetur, poterit inferri ex antecedente vero consequens falsum, servata eadem forma, ut: *Homo est animal: ergo est irrationalis.* Si 2. pars non observetur, nimirum, quod aliquis terminus sit in antecedente, qui non sit in consequente, non dabitur argumentatio formalis, sed pura consequentia.

21. Minor supra posita patet per exclusi-

onem cujuscunque argumentationis diverſæ à ſyllogiſmo perfecto: nam enthymema, cum unâ ſolum conſtet præmiſſâ, ſemper habet aliquid in conſequente, quod non ſit in antecedente. Idem cuique obvium erit, ſi perpendantur *Inductio*, & *Exemplum*, de quibus aliquid perſtringemus paulo inferius.

22. Oppones: *Inductio* etiam eſt argumentatio formalis, ut patet in hac: *Hic ignis cremat, ille ignis cremat; et ſic de cæteris: ergo omnis ignis cremat*: ergo non ſolus ſyllogiſmus eſt argumentatio formalis. Reſp. neg. antec: quia habet in conſequente terminum *omnis*, qui non eſt in antecedente.

23. Si placeat, dic ibi non dari inductionẽ, ſed puram conſequentiam: cum nihil habeat in conſequente, quod non ſit in antecedente: nam particula *et ſic de cæteris* idem valet, atque *Omnis ignis cremat*, quæ eſt terminus conſequentis. Deinde cum careat medio, nil diverſum habet in antecedente. Idem proclive erit conjicere ex aliis.

QUÆSITUM INCIDENS.

Quid, & quotuplex ſit Argumentatio?

24. REſolvo 1. *Argumentatio eſt modus ſciendi, in quo unum ex alio infer-*

infertur. Prima particula *Modus ſciendi* habet locum generis, in quo conveniunt Definitio, Diviſio, & Argumentatio: alia particula denotat differentiam, nempe, quod ex antecedente inferatur per illationem aliquid diverſum; ſin minus, erit pura conſequentia.

25. Reſolvo 2. Argumentatio dividitur in perfectam, & imperfectam. Perfecta recurrit cum ſyllogiſmo in recta forma diſpoſito. Imperfecta eſt quintuplex, videlicet *Inductio, Enthymema, Exemplum, Dilema,* & *Sorites.* Alii aliter dividunt; hoc tamen parum refert: igitur deſcribamus ſingulas ſpecies argumentationis imperfectæ.

26. Inductio eſt: *Argumentatio, in qua ex uno ad aliud cum enumeratione illative progredimur.* Fit dupliciter: 1. a particularibus ad univerſale, ut vidimus n. 22. 2: ab univerſali ad particularia, ut: *Omnis ignis cremat: ergo hic ignis cremat, & ille ignis cremat, & ſic cæteri.*

27. Enthymema (quod & ſyllogiſmus truncatus dicitur) *Eſt argumentatio, in qua ex una tantum propoſitione infertur alia*: ut *Omnis homo currit: ergo Petrus currit.* Exemplum eſt: *Argumentatio, in qua ab uno ſingulari ad aliud per ſimilitudinem fit illatio,* ut: *Deus pepercit Petro pœnitenti: ergo etiam tibi, ſi pœnitentiam egeris, parcet.*

28. Dilema eſt: *Argumentatio bimembris,*

Digitized by Google

in qua, quavis parte conceſſa, capieris, ut: *Vel percepiſti, quod dixi, vel non? Si percepiſti, cur non executus es? Si non percepiſti, quare non interrogaſti?* Sorites eſt: *Argumentatio de primo ad ultimũ,* ut: *Leo perfectior eſt formicâ: homo perfectior eſt leone: ergo de primo ad ultimum homo eſt perfectior formicâ.*

29. Ad meliorem intelligentiam hactenus traditæ doctrinæ ſcies 1. conſequentias, quæ colligunt in omni materia, dici formales; ſed non eſſe argumentationes formales, ſi careant medio, ſive argumento. Scies 2. poſſe eſſe argumentationes, quin ſint formales, ſi habeant medium; ſed addant terminum in conſequente, qui non ſit in antecedente, ut ſupra monuimus à n. 19.

QUÆSTIO QUARTA.

Quot ſint termini, & enuntiationes ſyllogiſmi?

30. Dico 1. Terminus ſyllogiſmi eſt tantum triplex. Ita communiter. Prob: quia concluſio conſtat duobus terminis, nempe prædicato, & ſubjecto: ſed ut probetur, an prædicatum vere affirmetur, aut negetur de ſubjecto, ſatis eſt unum argumentum, ſive medium: ergo ſolum his tribus terminis conſtat ſyllogiſmus.

31. Ex tribus terminis unus dicitur maius extre-

extremum, alter minus extremum, & tertius vocatur medius terminus. Hic eſt ille, qui in præmiſſis conjungitur utrique extremo, & non ingreditur concluſionem. Sic in hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt riſibilis: Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt riſibilis*: medius terminus *Homo* non ingreditur concluſionem.

§. Dicitur *Medium*; quia unit extrema in præmiſſis, ut in concluſione probentur eſſe idem inter ſe. Vocatur *Argumentum*; quia eſt medium ad inferendam concluſionem. Quare ſicut in ſyllogiſmo totaliter affirmativo unit extrema, quatenus oſtendit ipſorum identitatem; ita in partim negativo removet unionem, dum removet identitatem.

32. Rogabis hic obiter 1: an in 1. figura ſit maius extremum, quod in una præmiſſa prædicatur de medio termino; minus autem, quod in altera eidem ſubjicitur? Affirmant P.P. C.C. cum Ariſtotele. Prob: quia maius extremum habet præſtantiorem locum in ſyllogiſmo; è contra vero minus extremum: ſed præſtantius eſt prædicari, quam ſubjici: ergo.

33. Stabilitur amplius: quia diſtinctio maioris, & minoris extremi non poteſt deſumi ab eo, quod ſit prædicatum, vel ſubjectum in concluſione: aliter non darentur modi indirecti in 1. figura: nunquam enim maius extremum ſubjiceretur in concluſione, quod neceſſarium erat:

sed hoc non est admittendum: ergo.

34. Rogabis 2: an maius extremum in 2. & 3. figura sit illud, quod prædicatur in conclusione; minus autem extremum, quod in ea subjicitur? Affirmandum cum communi. Prob: quia esse maius, & minus extremum non potest cognosci ex præmissis; cum de utroque extremo prædicetur medius terminus in 2. figura, & in 3. utrique subjiciatur: ergo.

35. Dico 2. Syllogismus perfectus constat duabus præmissis, & una conclusione. Ita P. Fons. Inst. lib. 6. c. 10. P.P. C.C., & alii. Prob. quia ad judicandum extrema conclusionis esse idem inter se, debent identificari cum medio termino in præmissis: sed unum extremum identificatur cum medio in una præmissa, & alterum in alia: ergo.

36. Rogabis, quæ præmissa in syllogismo sit maior, & quæ minor? Illa est maior, quæ continet maius extremum; & illa minor, quæ continet minus extremum. Ita communiter. Prob. 1: quia nulla via facilior apparet, ut certe adstruamus, quæ sit maior, quæ minor. 2: quia maius, & dignius est prædicari, quam subjici.

37. Explicatur amplius: in 1. figura maior est, cujus extremum prædicatur de medio termino; cum maius extremum desumatur ab eo, quod prædicetur de medio in præmissis: minor est, quæ continet minus extremum, id est, subjectum

jectum medio termino. In 3. figura maior eſt, quæ continet prædicatum concluſionis; minor, quæ ſubjectum.

38. Oppones: Præmiſſæ ordinantur ad concluſionem: ergo in quacunque figura maior erit, quæ contineat prædicatum concluſionis; & illa minor, quæ ſubjectum. Reſp. neg. conſ: quia ſyllogiſmi indirecti in prima figura ideo tales ſunt, quia maius extremum ſubjicitur in concluſione: ergo ſicut extremum non denominatur maius ex ea ratione; ita ſimiliter erit propoſitio maior.

QUÆSTIO QUINTA.

In quibus principiis fundetur vis ſyllogiſmi?

39. REſolvo 1. Tota vis ſyllogiſmi nititur his duobus principiis: *Dici de omni*: *Dici de nullo*. Ita P. Fonſ. Inſt. Dial. lib. 6. c. 21. P. P. C. C. 1. Prior. c. 1. in cōment. ſequentes Ariſtotelem. Prob: quia hæc duo principia exercent ſuam vim in omnibus ſyllogiſmis, ut patebit ex ſolutione argumentorum: ſed hoc ipſum eſt eſſe principium, in quo fundatur vis ſyllogiſmi: ergo.

40. Explicantur termini: tunc aliquid cenſetur *Dici de omni*, quando affirmatur de termino communi diſtributive ſumpto: & ſi negetur de

de ipso termino ita accepto, cẽsetur *Dici de nullo*. Inservit primum principiũ ad syllogismos adæquate affirmativos; aliud ad partim negativos. Hic non comprehendimus expositorium.

41. Ad exercendam vim duorum principiorum tres exiguntur termini: 1. qui distribuitur: 2. qui continetur formaliter, aut identice: 3. qui prædicatur de contento; quia prædicatur de continente, v. g. *Omne animal est vivens*: *Animal* est terminus, qui distribuitur: terminus, qui continetur, est *Homo* v. g: terminus, qui prædicatur, est *Vivens*, quod de homine formaliter, & de Petro identice prædicatur.

42. Arg. 1. Vis istius syllogismi: *Nullus lapis est animal*: *aliquis homo est animal*: *ergo aliquis homo non est lapis*: non fundatur in principio: *Dici de nullo*; cum nil negetur de omni tanquam de medio, imo potius *medium* dicatur de utroque: ergo. Resp. neg. antec., & illius probationem: quia si nil negatur de medio formaliter, negatur æquivalenter.

43. Expenditur solutio: dum dicitur: *Nullus lapis est animal*: æquivalenter dicitur: *Nullum animal est lapis*: quia prima in istam convertitur: ergo etiam dicitur, quod nil contentum sub animali sit lapis: sed *Homo* est quid contentum sub animali, sive medio: ergo æquivalenter negatur de medio, nempe *Animali* tanquã de omni.

44. Arg.

44. Arg. 2. In hoc: *Omnis homo est animal rationale: omne risibile est homo: ergo omne risibile est animal rationale*: non exercetur principium *Dici de omni*; cum ibi non fiat descensus à superiori ad inferius: ergo. Resp. dist. antec: non exercetur formaliter, conc. ob insinuatam probationem: virtualiter, nego antec., & consq: quia maiori vi idem affirmatur de illo, quod adæquate convertitur cum medio, ut risibile cum homine.

45. Arg. 3. Iste: *Omne animal est vivens: omnis homo est vivens: ergo omnis homo est animal*: valet in 2. figura: sed non nititur principio *Dici de omni*: ergo. Resp. neg. mai: quia ibi medium neque æquivalenter distribuitur, ut evenit in negativa supra posita n. 42. Aliter valeret hic: *Omnis lapis est substantia: omnis homo est substantia: ergo omnis homo est lapis.*

46. Arg. 4. Ex eo quod omnis homo sit animal, colligitur per puram consequentiam Petrum esse animal: ergo est superflua argumentatio formalis: sed hoc non est dicendum: ergo vis syllogismi non fundatur in *Dici de omni*. Resp. neg. antec: quia in recta forma debet præmitti alia præmissa, in qua Petrus continetur sub homine.

47. Solidatur amplius: quia hoc consequens: *ergo Petrus est animal*: nequit inferri per puram consequentiam ex hoc antecedente: *Omnis*

Digitized by Google

nis homo eſt animal: cum *Petrus* ſit terminus diverſus: ergo. Aliter eſſet in hoc: *ergo aliquis homo eſt animal*: cum *aliquis* non ſit terminus diverſus ab iis, qui ponuntur in antecedente.

48. Inſt. Ideo præmittitur altera præmiſſa, ut in ea oſtendatur Petrum eſſe idem cum homine: ergo vis ſyllogiſmi non fundatur in *Dici de omni*. Reſp. neg. conſeq: quia eatenus oſtenditur eſſe idem cum homine, quatenus affirmatur contineri ſub illo, ut monet ipſum principium *Dici de omni*.

49. Arg. 5. Si omnes ſyllogiſmi fundantur in *Dici de omni*, æque in omnibus apparebit evidenter neceſſitas colligendi: ſed reliqui ſyllogiſmi in 2. & 3. figura egent unâ, aut pluribus converſionibus, ut appareat ea neceſſitas colligendi: ergo ſaltem hi non fundantur in *Dici de omni*. Reſp. neg. mai; quia non omnes fundantur immediate in *Dici de omni*.

50. Explicatur hæc doctrina: ſyllogiſmi in 1. figura, & quidem perfectiores, quales ſunt 4. primi, nituntur immediate principiis *Dici de omni*, & *Dici de nullo*: quia nullo alio egent, ut evidenter appareat neceſſitas colligendi. Alii ſyllogiſmi indirecti 1. figuræ, & directi cum 2. tum 3. figuræ ſolum fundantur mediate ob rationem datam n. antec.

51. Pro aliis obſerva 1. vim cujuſcunque ſyllogiſmi fundari remote in hoc principio:

Non

Non potest idem simul esse, & non esse: quia in hoc fundantur alia, per quæ immediatius regulantur syllogismi. Observa 2. syllogismos primæ figuræ etiam niti immediate in *esse in toto, esse in nullo*: quia hi termini coincidunt cum *Dici de omni*, &c.

52. Resolvo 2. Syllogismi 2. & 3. figuræ fundantur immediate in his principiis: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Si unum est idem uni tertio, cui alterum non est idem, ea duo non sunt eadem inter se.* Prob: quia primum principium est efficax ad concludendum in affirmativis, & secundum in negativis, si debita observentur: ergo.

53. Dixi: *Si debita observentur*: 1. quia tertium debet esse idem numero cum extremis: alioquin nil concludetur, ut accidit in 2. figura ex pure affirmativis. 2. quia tertium debet esse taliter unum, ut nec virtualiter intrinsece sit plura: hujus defectu non colligit hic syllogismus: *Intellectio Divina est generans: intellectio est volitio: ergo volitio est generans.*

54. Arg. 1. In hoc syllogismo: *Omne animal est vivens: nulla arbor est animal: ergo nulla arbor est vivens*: *vivens* est idem cum animali, cum quo *arbor* non est idem: & tamen non colligit: ergo fallit principium *Si unum est idem*, &c. Resp. neg. cons: ideo enim ibi non tenet consequentia, quia *vivens* distribuitur in conclusio-

cluſione, & non in antecedente.

55. Arg. 2. Hoc principium: *Quæ non ſunt eadem uni tertio, non ſunt idem inter ſe*: non eſt efficax ad concludendum: ergo neque illud: *Quæ ſunt eadem uni tertio*, &c. Reſp. neg. conc. diverſitas eſt: quia animal, & rationale non ſunt idem cum lapide, & ſunt idem inter ſe: ergo tale principium fallit. At non ita evenit in principio ſupra poſito, & ideo tenet.

56. Arg. 3. In hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt animal: omnis homo eſt vivens: ergo aliquod vivens eſt animal*: non exercentur immediate ea principia; cum extrema non repræſententur eadem cum medio termino, imo potius diverſa: ergo. Reſp. neg. antec., & rationem inſinuatam: quia utrunque extremum affirmatur eſſe idem cum medio ex parte ſubjecti; quod ſatis eſt ad exercendam vim principii ſupra poſiti.

57. Reſolvo 3. Syllogiſmus expoſitorius etiam nititur immediate principiis ſupra datis n. 52. Ita P. Fonſ. Inſtit. Dial. lib. 6. c. 24. Prob: quia ex eo, quod duo extrema cognoſcantur eſſe idem cum medio ſingulari, etiam apparent eſſe idem inter ſe. Item ſi unum eſt idem alicui, cum quo aliud non eſt idem, apparet non eſſe extrema eadem inter ſe.

58. An autem etiam in expoſitoriis valeant duo principia: *Dici de omni, Dici de nullo*? Videtur negandum: quia ea principia requirunt ſub-

jecta

jecta communia, ut patet ex supra dictis n. 40: extrema autem syllogismi expositorii sunt singularia, quidquid in contrarium reclamet P. Semery d. 3. Introd. c. 11.

SECTIO SECUNDA.

De Multiplicitate Syllogismi.

QUatuor genera syllogismi ex quadruplici materia nascuntur, ut dicitur in materia topicorum. Aut enim sumptiones sunt necessariæ, aut probabiles; vel necessariæ videntur, sed non sunt; aut etiam videntur probabiles, nec sunt. Ex primis fit syllogismus Demonstrativus; ex secundis Dialecticus; ex tertiis Pseudographus, & ex quartis Sophisticus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Syllogismus Demonstrativus?

59. SYllogismus Demonstrativus, sive Demonstratio est: *Ratiocinatio scientiam efficiens.* Ita P. Fons. Instit. Dial. lib. 7. c. 2. cum Aristotele 1. Poster. c. 2., quē sequuntur P. P. C. C. in coment. Particula: *Ratiocinatio* indicat convenientiam genericam syllogismi De-

Demonstrativi cum aliis, & *Scientiam efficiens* illum distinguit à reliquis syllogismis.

60. Duplex est hic syllogismus, alter habetur per causam proximam, & immediatam conclusionis, cognitam ut talem, & dicitur demonstratio *Propter quid*: alter non ita habetur, & vocatur demonstratio *Quia*. Hæc definiri potest: *Ratiocinatio certa, & evidens habita per effectum, vel causam remotam.*

61. Demonstratio *Propter quid* est: *Ratiocinatio constans ex veris, primis, & immediatis, notioribus, causisque conclusionis.* Particula *veris* denotat præmissas necessario veras: *Primis, & immediatis* non habentes medium à priori formaliter, aut virtute: *notioribus* natura sua magis notas conclusione: *causisque* vim præmissarum ad inferendam conclusionem.

62. Vocabulo *per causam* intellige causam in essendo, aut cognoscendo. Sic effectus est causa in cognoscendo, dum à posteriori demonstratur causa. Unde demonstratio erit logica, si causa habeat connexionem logicam; & physica, si physicam. Nota causam demonstrationis debere esse *per se*: causa enim per accidens non habet connexionem.

63. Arg. 1. Risibile demonstratur de homine per intellectivum: & tamen intellectivum non est illius causa: ergo. Resp. neg. min: quia est causa materialis externa risibilis, à quo respi-

citur

citur transcendentaliter. Vel dic risibile demonstrari per intellectivum ratione, & virtute animalis rationalis, quod metaphysice causat essentiam hominis.

64. Arg. 2. Demonstratio deducens ad impossibile est ratiocinatio efficiens scire: sed non comprehenditur sub definitione data n. 59. cum non pertineat ad demonstrationem *Quia*, neque ad *Propter quid*: ergo. Resp. neg. min., & probationem illius: quia spectat ad primam, si procedat ex destructione effectûs ad destructionem causæ.

65. Si vero procedat ex destructione causæ ad destructionem effectus, ut in hac: *Si homo non esset rationalis, non esset risibilis: sed est risibilis: ergo est rationalis*: ad secundam spectat. Demonstratio deducens ad impossibile est illa, in qua ex antecedente falso, sed per impossibile supposito ut vero, sequitur vera conclusio.

66. Arg. 3. Demonstratio habita per causam proximam, & immediatam, sed non cognitam ut talem, est demonstratio *Quia*: sed non habetur per effectum, nec causam remotam: ergo non stat illius definitio. Resp. neg. neg. 2. partem minoris: quia causa proxima, & immediata, dum non cognoscitur, censetur quoad nos remota.

67. Ex hoc capite talis demonstratio solùm est *Quia* quoad nos: si tamen spectetur secun-

dum se erit demonstratio *Propter quid.* Igitur tradita definitio nomine *Causæ remotæ* denotat causam, quæ vel sit remota secundum se, vel solum quoad nos, quatenus non cognoscitur ut talis, sive ut proxima, & immediata.

68. Arg. 4. Extrema conclusionis æque necessario sunt eadem cum medio, atque inter se: ergo æque notiores sunt præmissæ, atque conclusio; proindeque non stat particula *notioribus.* Resp. neg. antec: quia esse magis necessarium in præsenti est taliter esse independenter: conclusio autem dependet à præmissis, & non è contra.

69. Stabilitur: 1. ex Arist. 1. Prior. c. 2: *Semper illud est tale magis, ob quod unum quodque tale est*: conclusio autem est propter præmissas, & non è converso. 2: quia maior necessitas non sumitur, prout excludit contingentiam, sed prout excludit independentiam. Sic ex eadem ratione sumitur *notius* suo modo.

§. Ad verificandum proloquium proxime datum, nimirum: *Semper illud est tale magis*, &c: requiritur 1. quod prædicatum, in quo fit comparatio, conveniat utrique extremo saltem analogice. 2: quod multiplicetur in utroq. 3: quod suscipiat magis, & minus saltem improprie. 4: quod unum sit causa alterius. Vide P.P. C.C. in cap. 2. de scient. q. 2. arc. 5.

70. Arg. 5. Iste syllogismus: *Omne, quod currit,*

currit, movetur: sed Petrus currit: ergo movetur: est demonstrativus: sed præmissæ non sunt immutabiliter veræ; cum sint de objecto contingenti: ergo non stat particula *ex veris.* Resp. neg. mai. ob dicta in minori: in definitione enim loquimur de materiâ *circa quam* syllogismi.

71. Dixi: *de materia circa quam*: quia non inficiamur præmissas formales, quæ dicuntur materia *ex qua* syllogismi, si sint de objecto contingenti, posse inferre conclusionem certam, & necessariam in cognoscendo: siquidem contingentia non opponitur certitudini, sed necessitati: & tam certum est Petrum esse album, quam esse risibilem.

72. Arg. 6. Præmissæ sunt simul cum cognitione conclusionis: ergo non sunt causæ illius; cum non sint priores. Resp. disting. antec: sunt simul simultate temporis, concedo; quia in eodem instanti, quo ponuntur præmissæ recte dispositæ, infertur conclusio: sunt simul simultate naturæ, nego antec., & consequentiam.

73. Suadetur hoc ratione: quia assensus conclusionis supponit essentialiter objectum *propter quod* formaliter, & illuminative concurrens: sed hoc applicatur per præmissas formales: ergo hæ debent esse priores; & consequenter sunt causæ conclusionis. Et ex hac doctrina, & fundamento

74. Deducitur præmissas formales debere

existere in eo instanti; in quo infertur conclusio: quia ipsæ sunt causæ formales illuminativæ conclusionis, dum proponunt intellectui motivum assentiendi: sed causæ illuminativæ non possunt actu illuminare, nisi actu existant: ergo. Sic lux non potest reddere lucidum, nisi existat.

75. Arg. 7. Ex eisdem præmissis potest fieri demonstratio à priori, & à posteriori: ergo non bene distinguitur demonstratio *Quia* à *Propter quid.* Resp. neg. antec: quia implicat easdē præmissas modo continere causam proximam, & immediatam conclusionis, & modo illam non continere; quod necessarium erat.

QUÆSITA SOLVENDA.

76. QUæres 1. Quid, & quot sint præcognita syllogismi demonstrativi? Quod prius alio cognoscitur, dicitur *Præcognitum*: & cognitiones, quibus res præcognoscuntur, vocantur *Prænotiones*. Prænotio dividitur in *Quid est*, & *Quod est*.

77. Prænotio *Quid est* subdividitur adhuc in *Quid nominis*, id est, quid nomen significet; & in *Quid rei*, id est, quæ sit essentia rei. Prænotio *Quod est* rursus dividitur in *Quod est rei*, id est, quod res existat, vel possit existere; & in *Quod est principiorum*, id est, quod principia sint vera.

78. Quæ-

78. Quæres 2. An ante ingreſſum demonſtrationis ſint præcognoſcenda ſubjectum, prædicatum, ſive paſſio, & principia? Affirmandũ cum cõmuni: quia non poteſt prædicatum demonſtrari de ſubjecto, niſi utrumque præcognoſcatur; & etiam principia, ex quibus eſt demonſtrandum: ergo tria ſunt præcognoſcenda.

79. Hanc doctrinam intellige de præcognitis adjective ſumptis: dantur quidem 4 prænotiones in abſtracto: ſed tria præcognita adjective; quia *Quid rei*, & *Quod eſt rei* ſunt de eodem ſubjecto. Item verũ eſt, quod debeat præcognoſci *Medium*; at cum præcognoſcatur ut incluſum, & non diſtinctum à principiis, non conſtituit diverſum præcognitum.

80. Fateor ſubjectum, & prædicatum etiam includi in præmiſſis, & principiis, & adhuc cognoſci ut diſtincta; datur tamen longa diſparitas reſpectu *Medii*: quia datur cognitio ſubjecti, & paſſionis ſine cognitione principiorum; cum hæc poſtea inquiratur. At cognitio Medii ut talis non reperitur ſine cognitione principiorum; & ideo non exigitur, quod ſeparatim cognoſcatur.

81. Quæres 3. An dari debeant alia præcognita ante ingreſſum demonſtrationis? De ſubjecto ſcientiæ totalis prænoſcendum eſt *Quid rei*: quia prænoſcenda ſunt principia ſcientiæ, & potiſſimum eſt *Quid rei*. Unde ad demonſtran-

dam quidditatem hominis in genere metaphysico prænoscitur, quid sit homo in genere physico.

82. Signanter dixi: *Scientiæ totalis*: quia aliter sentiendum de subjecto scientiæ partialis; sæpius enim demonstratur una tantum pars essentiæ per aliam. At de subjecto demonstrationis necessario prænoscendum *Quod est rei*, id est, quod possit existere; nisi sit demonstranda possibilitas, vel impossibilitas.

§. Ratio hujus est: quia non potest demonstrari vera passio de subjecto, quod non prænoscatur habere potentiam ad existendum. Non requiritur prænotio existentiæ actualis: quia demonstratio solum est de rebus necessariis, & ea existentia est contingens. Si nostra scientia dependet à notitia sensuum requirente actualem existentiam objecti; id est per accidens, & non ex necessitate scientiæ, sed scientis.

83. Nota obiter 1. illam scientiam, quæ sub alia ponitur, ab illaque dependet, dici *subalternatam*; alia vero appellatur *subalternans*. Hæc subalternatio fit 1. ratione finis. 2: cum principia unius ab alia demonstrantur. 3: cum subjectum unius collocatur sub subjecto alterius.

§. Nota 2. ad perfectam subalternationem scientiarum tria requiri: 1. ut subjectum subalternatæ ponatur in recto sub subjecto subalternantis. 2: ut differentia accidentalis, per quam

fit

ſit contractio, non emanet neceſſario à ſubjecto ſubalternantis. 3: ut ex conjunctione talis differentiæ reſultet nova proprietas per ſe conſiderabilis à ſubalternatâ.

84. De Paſſione prænoſcendum eſt *Quid nominis*: quia non poteſt demonſtrari paſſio de ſubjecto, cujus nomen ignoretur. Idem dic de ſubjecto. Item prænoſcendum eſt aliqualiter *Quid rei*, & *Quod eſt rei*: quia non poteſt demonſtrari paſſio, ſi omnino ignoretur ipſius quidditas, & quod poſſit exiſtere.

85. Item prænoſcendum eſt de principiis, quod ſint immutabiliter vera: quia concluſio eſt neceſſario vera, & talis eſt ratione principiorum, ſive præmiſſarum. Non loquimur hic de principiis cõmunibus v.g. *Quodlibet eſt, aut non eſt* & ſimilibus: ſatis enim eſt, ut cognoſcantur implicite, & incluſa in his, aut illis principiis.

86. Quæres 4: quæ ſint prænoſcenda in ingreſſu demonſtrationis? De Medio prænoſcendum eſt aliquo modo *Quid rei*, & *Quod eſt rei*: quia nequit aſſumi in probationem id, cujus eſſentia, & poſſibilitas penitus ignoratur. Si tamen demonſtratio ſit negativa, poterit medium eſſe impoſſibile; cum paſſio cognoſcatur diſconveniens medio.

87. An autem neceſſario ſit etiam prænoſcenda bonitas conſequentiæ per actum reflexũ, & diſtinctum ab aſſenſu concluſionis? Negant

P. Hurt. P. Suar. Lusit. in log. tract. 8. n. 69. & alii: quia ad inferendum scientifice conclusionem satis est, quod intellectus judicet identitatem extremorum cum medio termino in præmissis: totum autem judicat per actum conclusionis, qui est reflexus supra præmissas objectivas.

§. Stabilitur: quia bonitas consequentiæ nihil aliud est, quam recta consecutio hujus conclusionis ab his præmissis; sed totum hoc attingitur ab assensu conclusionis; hic enim cognoscit causam, ob quam res est: ergo. Si è duobus, cognitis eisdem præmissis, unus assentitur conclusioni, & non alius, ideo est: quia solum unus penetrat eas præmissas.

88. Quæres 5. Quot, & quæ sint prædicata demonstrationis. Duo sunt, nempe *Per se primo modo*, & *Per se secundo modo*: 1. est essentiale, & 2. est necessarium. Quodlibet ex his est prædicatum *Per se de omni*, ut rationale, & risibile respectu hominis; quia ei conveniunt, & omnibus sub eo contentis, & omni tempore; & ideo requirit (ut aiunt) universalitatem suppositorum, & temporis.

89. Prædicatū *Per se de omni secundo modo* dividitur in prædicatum *secundum quod ipsum*, & in prædicatum *Non secundum quod ipsum*: 1. est, quod convenit subjecto, secundum quod tale est, & cum eo convertitur, ut risibile cum homine:

mine: secundum est, quod non convenit subjecto, secundum quod tale est, nec cum ipso convertitur, ut sensitivum, quod non convenit homini, quà rationale est; sed quà animal.

90. Pro aliis, quæ hic disquiri poterant, observa 1. principia scientiæ subalternatæ cognosci *Propter quid* à subalternante: quia hæc eo modo cognoscit suas conclusiones, qualia sunt ea principia. Observa 2. ea principia solum attingi cognitione *Quia* à subalternatâ: aliter ipsæ scientiæ non distinguerentur inter se.

§. Observa 2. scientiam subalternantem cognoscere *Propter quid* solitarie conclusiones subalternatæ: quia ita cognoscit suas conclusiones, quæ sunt principia subalternatæ, & in quibus continentur hujus conclusiones. Dixi *solitarie*: quia cognoscere ea principia applicate ad cognoscendum effectum per demonstrationem spectat ad subalternatam.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid sit Syllogismus Dialecticus?

91. SYllogismus Dialecticus, sive Probabilis est: *Ratiocinatio, quæ ex probabilibus concluditur.* Ita sentit P. Fons. Instit. Dialect. lib. 7. c. 6. Addidimus particulam: *Ratiocinatio* ad denotandam rationem genericam:

alia

alia indicat differentiam ſpecificam. Probabilia, ut ex Ariſtotele 1. Topicor. ait P. Fonſ., ſunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus, modo non ſint præter omnium opinionem.

92. Arg. 1. Definitio ſupponit dari materiam in re probabilem: ſed hoc eſt falſum; res enim aut ſunt, aut non ſunt à parte rei: ergo. Reſp. neg. min: quia rem eſſe probabilem in ſe eſt præbere fundamentum ad aſſenſum prudentem formidoloſum: hoc autem certe datur. Et per hoc ſatisfit inſinuatæ probationi.

93. Arg. 2. Syllogiſmus Dialecticus poteſt tranſire in improbabilem: poſſunt enim apparere in objecto aliquæ rationes, quæ omnino enervent motivum probabilitatis: ergo particula *Ex probabilibus* non innuit differentiam eſſentialem. Reſp. neg. conſ: quia ſyllogiſmus ſolum manet Dialecticus, dum non apparent eæ rationes.

94. Roboratur ſolutio: quia actus contingenter verus, licet poſſit mutari in falſum; ſi ſumatur ut formaliter verus, adhuc diſtinguitur eſſentialiter ab actu falſo: ergo ita erit in ſyllogiſmo probabili. Neque ideo actus mutabit repræſentationem; ſicut illam non mutat actus contingenter verus, dum poſtea tranſit in falſũ.

95. Arg. 3. Syllogiſmus Dialecticus ſtat cum evidentia falſitatis: ſi enim duo ſint contradicto-

dictorie oppositi, unus ex his est evidenter falsus: sed ex evidenter falso non consurgit probabilitas: ergo non stat particula *ex probabilibus*. Resp. dist. mai: syllogismus Dialecticus determinate sumptus stat cum evidentia falsitatis, nego: indeterminate, conc. antec. ob dicta in probatione.

96. Unde distinguo similiter minorem: ex evidenter falso determinate sumpto non consurgit probabilitas, conc: indeterminate sumpto, nego min. & conseq: quia ad assentiendum prudenter cuilibet ex contradictoriis divisim sumpto sufficit, quod pro neutra parte determinate sumpta appareat falsitas, & detur pro qualibet motivum sufficiens ad verisimilitudinem.

97. Quæres hic obiter 1: quid sit prædicatum Dialecticum? Definitur cum P. Rub. ita: *Est præcipua pars, ex qua componitur problema, ac propositio Dialectica.* Unde hoc prædicatum est materia proxima propositionis, & remota syllogismi: dicitur *præcipua pars* ad distinctionem subjecti, ex quo ea propositio etiam cõponitur.

98. Dices: syllogismus Dialecticus sæpe ex altera tantum propositione probabili constat: ergo verum non est, quod prædicata Dialectica sint materia syllogismi Dialectici. Resp. cum P. Fonf. neg. conseq: quia illud *ex probabilibus* etiam intelligitur in singulari, quasi dicat Aristoteles ex utraque sumptione probabili, aut ex alte-

altera saltem constat syllogismus Dialecticus.

99. Quæres 2. Quid sit propositio Dialectica? Est *Interrogatio probabilis*, id est, *quæ aperte interrogat id, quod videtur omnibus, aut plurimis.* Ita P. Fons. supra citatus c. 7. cum Arist. 1. Topic. c. 8. Dicitur *Interrogatio*: quia cum non sit necessaria, aut certe non videatur, cogitur arguens petere à defendente; an eam verâ existimet, ne frustra arguat ex non concessis.

100. Additur: *quæ aperte interrogat id*, &c: quia unam duntaxat interrogationis notam exprimit, eamque solam contradictionis partem expresse proponit, quæ probabilis judicatur. Quanquam tacite alteram etiam tum rogandi notam, tum contradictionis partem implicite continet: & differt à problemate in eo, quod hoc efferatur duplici interrogationis nota, & ipsa unicâ tantum. Clarioris adhuc doctrinæ gratia

101. Quæres 3. Quid sit Problema? Definitur: *Theorema, de quo aut in neutram partem sentiunt homines, aut contra plerique, ac sapientes; aut sapientes contra, ac plerique, aut utrique ipsi secum discordant* Ita ex Arist. 1. Topicor. c. 9. Dicitur *Theorema* quasi considerationē dignū; cum enim sit ambiguum, utraque ex parte debet expendi; & ideo duplici interrogationis nota efferri solet, ut ait P. Fons.

QUÆS-

QUÆSTIO TERTIA.

Quid ſit Syllogiſmus Sophiſticus?

102. DEfinitur ſyllogiſmus ſophiſticus: *Ratiocinatio, quæ ex iis, quæ videntur probabilia, nec ſunt, colligit concluſionem.* Ita P. Fonſ. Inſtit. Dial. lib. 8. c. 2. Particula *Ratiocinatio* ponitur loco generis: aliæ ſequentes diſtinguunt ſyllogiſmum ſophiſticum à reliquis ſyllogiſmis, ut ſingulos perpendenti fiet perſpicuum.

103. Arg. 1. Syllogiſmus, qui ex probabilibus, iis ve, quæ videntur probabilia, colligere videtur, nec colligit, eſt ſophiſticus: ergo non ſubſiſtit definitio proxime data. Reſp diſt. antec: eſt ſophiſtus hic non definitus, conc: hic definitus, nego antec., & conſeq: quia hic ſolum definitur ſyllogiſmus ſophiſticus, qui eſt ſpecies ſyllogiſmi ſupra definiti n. 1.

104. Firmatur ſolutio: 1. quia vera ſpecies ſyllogiſmi eſt argumentatio formalis: hæc autem cum debeat eſſe in recta forma, neceſſario colligit concluſionem. 2. quia ſyllogiſmus ſophiſticus hic definitus in aliquo peccat: non in forma; cum illi competat definitio ſyllogiſmi perfecti, quam ſupra dedimus loco citato: ergo in materia, quæ erit falſa.

105.

105. Arg. 2. Actus, quo quis ex motivo levi assentitur objecto in se vero, est sophisticus: & tamen est verus: ergo perperam ponitur particula, *Quæ videntur probabilia, nec sunt.* Resp. neg. mai: quia syllogismus sophisticus debet esse probativus secundum materiam apparenter; talis autem actus est omnino improbabilis apparenter.

106. Inst. Syllogismus sophisticus distinguitur à Dialectico per id, quod nitatur fundamento levi, & Dialecticus gravi: ergo assensus improbabilis potest esse sophisticus. Resp. neg. antec: distinguitur enim per id, quod illius fundamentum sit solum apparenter grave, & Dialectici in re sit grave. Deinde talis assensus est temerarius; temerarium autem non dicitur apparenter probabile.

107. Arg. 3. Syllogismus potest esse solũ apparenter probabilis, quanvis in re sit verus: sed cum hoc non stat tradita definitio syllogismi sophistici: ergo. Maior constat: quia potest actus esse verus, & improbabilis: ergo etiam verus, & solum apparenter probabilis. Resp. neg. mai: quia quod est verum, est in se probabile: ergo non est solum apparenter; hoc enim excludit probabilitatem in se.

108. Ad probationem dic actum posse esse verum, & quoad nos improbabilé: quia potest niti motivo improbabili: non ita vero, si sermo

sit

sit de probabilitate objectiva, & materiæ *circa quam*, secundum quam hic sumitur syllogismus sophisticus. Nam si materia secundum se nullo modo est probabilis, utique est falsa: & in hoc sensu locuti sumus numero antecedente.

109. Arg. 4. Materia *circa quam* syllogismi Dialectici potest esse falsa, & in re probabilis: ergo etiam materia syllogismi sophistici erit in re vera, & solum apparenter probabilis. Resp. neg. conseq: diversitas pro 1. parte constat ex dictis à n. 95. Pro alia parte constat ex duobus numeris proxime antecedentibus.

110. Arg. 5. Una ex præmissis syllogismi sophistici potest esse necessaria, & consequenter vera: sed materia illius *circa quam* erit etiam materia syllogismi: ergo hujus materia non semper est falsa. Resp. neg. conseq: quia syllogismus nititur indivisibiliter, & copulative utraque præmissâ; & cum hæc materia ita sumpta sit ex parte falsa, totum evadit falsum, ut nemo inficiabitur.

QUÆSTIO QUARTA.

Quid sit Syllogismus Pseudographus?

111. SYllogismus Pseudographus definitur: *Ratiocinatio, quæ ex non veris sumptionibus, sed quæ vera, ac necessaria videan-*

deantur, colligit conclusionem. Definitio per se patet, adeoque non indiget explicatione. Ita habet P. Fonſ. Inſt. Dial. lib. 8. c. 1. citans pro ſe Ariſtotelem 1. Topicor. c. 1. & 1. Elench. c. 8. & 10. cui conſentiunt fere omnes.

112. Hoc vitioſum genus ſyllogiſmorum, quod veram mentitur demonſtrationem, raro incurritur, ut monet P. Fonſ., niſi cum propria alicujus ſcientiæ principia, & pronuntiata latius ſumuntur, quam accipi debeant: & ſic quæ aliunde ſunt vera, latius uſurpata ſunt falſa; v. g. *Omnes lineæ ductæ ab eodem ad idem punctum ſunt æquales*; hoc enim falſum habebit, ſi lineæ rectæ non ſint.

113. Arg. 1. Syllogiſmus nixus motivo intrinſeco in ſe infallibili, ſed inevidenter penetrato, eſt Pſeudographus: atqui materia eſt in ſe neceſſaria: ergo non ſtat definitio. Reſp. neg. mai: quia ſyllogiſmus Pſeudographus nititur motivo apparenter ſolum evidenti; quale non eſt, quod refertur in maiori, ob penetrationem etiam apparenter inevidentem.

114. Roboratur amplius ſolutio: 1. quia non datur Pſeudopropheta verus: ergo neque ſyllogiſmus Pſeudographus verus: utriuſque enim eſt idem nominis etymon. 2. quia Pſeudographus diſtinguitur à Demonſtrativo per id, quod habeat materiam ſolum apparenter neceſſariam: ergo debet talis non eſſe in ſe.

115.

115. Inst. Syllogismus nixus eo motivo ad nullū ex aliis syllogismis spectat: ergo est Pseudographus. Resp. neg. antec: reducitur enim ad syllogismum Demonstrativum ob certitudinem infallibilem, ad quam præcipue attenditur, utpote conducentem ad scientias. Sic idem dicitur de syllogismo constante præmissis de Fide Divina.

116. Arg. 2. Si una saltem ex præmissis sit in re necessaria, adhuc syllogismus erit Pseudographus: ergo hic non constat ex non veris sumptionibus. Resp. neg. conseq: quia ea præmissa solum est materia hujus syllogismi, quatenus utraque indivisibiliter, & copulative sumpta componit unum antecedens: hoc autem totum est falsum ob partem falsam.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Forma Syllogistica.

SECTIO PRIMA

De quidditate formæ syllogisticæ.

1. Forma syllogismi coalescit ex modo, & figura simul sumptis: loquimur enim de syllogismo recte disposito, cui co-

petat definitio ſupra data d. 1. n. 1. Figura eſt: *Apta diſpoſitio medii termini cum extremis ad inferendam concluſionem.* Modus eſt: *Apta propoſitionum complicatio ſecundum quantitatem, & qualitatem.*

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum *Materia, & forma ſyllogiſmi ſint realiter idem?*

2. Affirmativa ſententia vera eſt, eam tenet Spinula in logica diſp. 4. n. 11., & ſupponitur à P.P. C.C. Prob: quia materia *ex qua*, de qua ſermo eſt, ſunt propoſitiones formales: ſed ab his non diſtinguitur forma ſyllogiſmi recte diſpoſiti: ergo. Minor conſtat: quia forma hic eſt talis expreſſio objecti; & hæc eſt idem cum propoſitionibus.

3. Explicatur amplius: 1. quia hæc forma eſt talis connexio medii termini cum extremis: hæc autem cum ſit intentionalis, ſolum eſt expreſſio identitatis medii termini cum extremis. 2: quia quantitas, & qualitas propoſitionum, nimirum univerſalitas, vel particularitas, & affirmatio, vel negatio, ſunt idem cum expreſſione objecti.

4. Arg. 1. Manente eadem materia, variatur forma ſyllogiſmi: ſiquidem cum mera tranſlocati-

locatione præmiſſarum argumentum, quod erat in *Ceſare*, ponitur in *Cammeſtres*: ergo. Reſp. neg. antec., & illius probationem: ſiquidem etiam debet fieri converſio concluſionis; & tunc convertens, & converſa non ſunt idem: & ideo nego conſeq.

5. Fulcitur hæc doctrina: quia concluſio etiam eſt materia *ex qua* ſyllogiſmi: ergo ſi poſita in *Ceſare*, non poteſt inferri in *Cameſtres*, niſi detur converſio; neceſſario ſequitur non manere eandem materiam. Deinde non ſufficit mera translocatio propoſitionum; cum illa ſit maior, quæ continet maius extremum; & non quæ ponitur. L. loco, ut alibi expoſuimus.

6. Arg. 2. In duobus ſyllogiſmis poſitis in *Barbara*, quorum unus ſit de leone, & alter de homine; forma non eſt eadem cum materia; cum in hac differant, & conveniant in illa: ergo. Reſp. neg. antec: quia non obſtante ea convenientia, & diſconvenientia, poteſt dari identitas, ut viſitur in animali, & rationali hominis.

7. Arg. 3. In ſyllogiſmo recte diſpoſito realiter diſtinguitur modus à figura: ergo etiam forma à materia. Reſp. neg. antec: quia utrunque identificatur cum tali expreſſione objecti: ſed hæ expreſſiones non diſtinguuntur à propoſitionibus: ergo neque inter ſe: quæ enim in creatis ſunt realiter idem uni tertio, non poſſunt diſtingui realiter inter ſe.

8. Inſt. Modus ſeparatur à figura, ut ſi fiat ſyllogiſmus, ſervata complicatione medii termini cum extremis, & non quantitate, vel qualitate propoſitionum: ergo modus diſtinguitur à figura. Reſp. neg. conſ: quia licet modus ſyllogiſmi inepti ita diſtinguatur â figura boni; non ita erit in hoc modus, & figura.

9. Solidatur ulterius. 1: quia ille modus ſyllogiſmi recte diſpoſiti eſt omnino inſeparabilis à figura: ergo ex hac ratione oppoſitâ erunt idem inter ſe. 2: quia etiam invenitur abſolute animal omnino ſeparatum à rationali, ut patet in leone; quin ideo animal, & rationale diſtinguantur in homine: ergo ita ſimiliter, &c.

10. Arg. 4. Poteſt ſyllogiſmus eſſe bonus ex parte formæ, & malus ex parte materiæ: ſed hoc eſt ſignum diſtinctionis realis: ergo. Reſp. neg. min: quia talis ſyllogiſmus eſt idem, atque ſyllogiſmus falſus; & ab eo ſyllogiſmo, cui falſitas eſt adæquate intrinſeca, non diſtinguuntur tales, vel tales expreſſiones objecti, quæ ſunt forma ſyllogiſmi.

QUÆSTIO SECUNDA.

An figura ſyllogiſmi ſit ſolum triplex?

11. REſpondetur affirmative cum Ariſtotele, quem ſequuntur P. P. C. C.

C.C. 1. Prior. c. 7. q. 1. art. 1. §. *Aristotelica tamen.* Prob: quia tot sunt figuræ, quot complicationes medii cum extremis: sed hæ sunt tres; vel enim medium subjicitur uni extremo, & de alio prædicatur, & est 1. figura; vel prædicatur de utroque, & est 2.; vel utrique subjicitur, & est 3: sed non assignatur alia complicatio diversa: ergo. Hoc innuunt versus.

Prima prius subdit medium, dein prædicat ipsum:
Altera bis dicit, bis tertia subjicit illud.

12. Arg. 1. Quando medium prædicatur de maiori extremo, & subjicitur minori, datur 4. complicatio diversa: ergo datur 4. figura. Resp. neg. suppositum maioris, scilicet quod medium possit prædicari de maiori extremo; cum hoc constituatur per id, quod prædicetur de medio; sicut minus per id, quod subjiciatur medio.

13. Inst. Saltem medium potest prædicari in maiori, & subjici in minori sumptione: ergo dabitur diversa complicatio. Resp. neg. antec: quia sumptio maior in 1. figura dicitur illa, quæ continet maius extremum, ut supra deduximus d. 1. n. 36: ergo propositio, in qua medius terminus prædicetur, non potest esse maior.

14. Arg. 2. Diversa collocatio maioris, & minoris extremi variat figuras syllogismi: ergo etiam diversa collocatio sumptionum. Resp. neg. conseq: diversitas est: quia 1. collocatio

Digitized by Google

eſt intrinſeca, & eſſentialis propoſitionibus formalibus; non ita vero ſecunda: & figuræ ſolum diverſificantur per prædicatum eſſentiale, & non per accidentale.

15. Arg. 3. Diverſa collocatio ſumptionũ variat modos, ut patet in *Ceſare*, & *Cameſtres*: ergo etiam figuras. Reſp. neg. antec: ſiquidem non ex eo præciſe variantur modi, quod præmiſſæ tranſponantur; ſed quia maius extremum variatur: concluſio enim in *Ceſare* eſt convertens alterius in *Cameſtres*.

16. Additur adhuc negari poſſe conſequentiam, dato antecedente: nam diverſa quantitas, & qualitas eſſentialis variat modos; non tamen figuras, ut omnes fatentur: ergo ita erit in caſu argumenti. Dici etiam poteſt cum P. Hurt. in log. d. 10. §. 102. non omnes modos eſſe eſſentialiter diverſos, ut debent eſſe figuræ juxta omnes.

17. Arg. 4. In hoc ſyllogiſmo: *Omne animal eſt vivens: nullum vivens eſt lapis: ergo nullũ animal eſt lapis*: datur collocatio medii diverſa à tribus aſſignatis: ibi enim non tranſponuntur præmiſſæ; aliter in 1. figura ex minori negativa concluderetur: ergo. Reſp. neg. antec: quia 2. ſumptio re vera eſt maior, cum contineat maius extremum; & per hoc fit ſatis inſinuatæ probationi.

18. Inſt. Hæc doctrina non valet in hoc ſyllo-

syllogismo: *Nulla substantia est quantitas: omnis quantitas est accidens: ergo aliquod accidens non est substantia*: ergo. Resp. neg. antec: nam etiam 2. propositio est maior, licet ponatur 2. loco; cum in ea medius terminus subjiciatur, nimirum *Quantitas*. Et conclusio est indirecta; infertur enim in *Fapesmo*, in quo solum eo modo concluditur.

QUÆSTIO TERTIA.

Quot sint modi concludendi in prima figura?

19. AD meliorem intelligentiam nota 1. modum concludendi tunc esse directum, quando maius extremum prædicatur de minori: indirectum vero, cum subjicitur eidem. Nota 2. conclusionem posse esse indirectam quoad prædicationem, & directam quoad modum concludendi; ut si maius extremum sit subjectum, & prædicetur de minori, quod sit forma, vel quasi forma. His prænotatis,

20. Dico 1. In 1. figura modi directe concludendi sunt tantum quatuor. Ita communiter cum Aristotele. 1. Prior. c. 3. Prob: quia solum dantur 4. complicationes præmissarum diversæ, & aptæ ad directe concludendum, quæ his vocabulis designantur *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*: nec assignabitur alia: ergo modi directi

sunt tantum quatuor.

21. Explicatur: quia in aliis modis diversis, qui assignentur, sæpius cum antecedente vero existet consequens falsum: ergo non sunt apti ad directe concludendum formaliter. In qualibet è 4. dictionibus prima vocalis significat maiorem propositionem; 2. minorem; 3. conclusionem, & per easdem literas denotatur quantitas, vel qualitas propositionum, ut indicant sequentia carmina.

Asserit A, negat E, verum generaliter amba,
Asserit I, negat O, sed particulariter amba.

22. Primus modus, nempe *Barbara*, constat tribus universalibus affirmativis in hunc modũ: *Omne vivens est substantia: omne animal est vivens: ergo omne animal est substantia.* Secundus, scilicet *Celarent*, constat tribus universalibus, sed minori affirmativa, & aliis negativis, ut: *Nullum vivens est lapis: omne animal est vivens: ergo nullum animal est lapis.*

23. Tertius est *Darii*, & constat maiori universali affirmativa, & duabus ultimis particularibus affirmativis, ut: *Omne animal est vivens: aliquis homo est animal: ergo aliquis homo est vivens.* Quartus, nempe *Ferio*, constat 1. universali negativa; 2. particulari affirmativa; 3. particulari negativa. Totum patet, si minor, & conclusio syllogismi in *Celarent* fiant particulares.

24. Per primam figuram concluduntur omnia

nia propositionum genera, nimirum affirmativa, & negativa, sive sit universalis, sive particularis; quod aliis figuris non convenit. Nam in 2. concluditur tantum propositio negativa, & in 3. conclusio particularis, ut in progressu patebit; & ideo reliquas antecedit perfectione.

25. Arg. 1. Hic syllogismus: *Nullus lapis est sensitivus: sed aliquis homo est non lapis: ergo aliquis homo non est sensitivus*: est in *Ferio*: sed non colligit: ergo. Resp. neg. mai: quia constat præmissis negativis; cum minor sit æquipollenter negativa: *Ferio* autem exigit minorem affirmativam.

26. Inst. Minor potest sumi, ut æquipollenter affirmativa: ergo non stat solutio. Resp. neg. cons: tunc enim non colligit, quia mutatur medius terminus: hic enim in mai. est *lapis* & in minori medius terminus est *Id, quod non est lapis*. Nam ea propositio facit hunc sensum: *Aliquis homo est id, quod non est lapis*: & hac dispositione nihil concluditur.

27. Arg. 2. In *Barbara* datur antecedens verum, & consequens falsum, ut patet in hoc syllogismo: *Omne risibile est animal: sed omnis, & solus homo est risibilis: ergo omnis, & solus homo est animal*: ergo. Resp. neg antec: ad probationem illius dic talem syllogismum vitiari ratione particulæ exclusivæ *solus*, quæ ibi adjungitur.

28. Duplici ex causa vitiatur hic syllogismus

mus ratione talis particulæ. 1: quia excluſiva habet vim duarum propoſitionum, per quas exponitur, quarum una eſt negativa; & conſequenter attribuit ſyllogiſmo præmiſſas plures, quam duas. 2: quia variat acceptionem terminorum; cum minor univerſalis non ſumatur copulative, ut debebat.

29. Arg. 3: Hic ſyllogiſmus: *Omnis homo eſt animal: nullus lapis eſt homo: ergo aliquid, quod non eſt lapis, eſt animal*: colligit directe vi formæ: ſed eſt diverſus modus à 4. aſſignatis: ergo. Reſp. neg. mai: quia in 1. figura nil concluditur directe ex min. negativa; neque in aliis ex aliqua negativa concluſio affirmativa, ut ibi accidit.

30. Arg. 4. Modus *Darii* non differt à *Barbara*; cum in eo includatur: propoſitiones enim particulares includuntur in univerſali: ergo 4. modi ſaltem non ſunt eſſentialiter diverſi inter ſe. Reſp. neg. antec: quia, non obſtante illius probatione, uterque conſtat diverſis præmiſſis, ſecundum quas hic conſideratur diverſitas.

31. Roboratur ſolutio: quia hic ſyllogiſmus: *Omne animal eſt vivens: omnis homo eſt animal: ergo aliquis homo eſt vivens*: non conſtituit modum diverſum à *Barbara*, eo quod habeat ſimiles præmiſſas: ergo ex ratione oppoſita aliud ſentiendum in caſu argumenti. Scito hic modos, qui colligunt concluſionem univerſalem, probe etiam colligere particularem, quæ ex alia ſequi-

quitur.

SECUNDUS SENSUS.

32. DIco 2. In 1. figura dantur quinque modi concludendi indirecte, nempe *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.* Ita P.P. C.C. cum Aristotele. Probatur: quia modus indirectus est ille, in cujus conclusione subjicitur maius extremum: hoc autem accidit in modis assignatis. Item sunt diversi ob diversas præmissas.

33. Totum hoc patet: tres primi indirecti solum differunt à tribus primis directis, quòd inferant convertentem conclusionis directæ. Unde syllogismus supra datus in *Barbara* n. 22. manebit in *Baralipton* hoc modo: *Omne vivens est substantia: omne animal est vivens: ergo aliqua substantia est animal.* Idem erit in duobus sequentibus, si fiat similis conversio in *Celarent,* & *Darii.*

34. Quartus, nempe *Fapesmo,* constat maiori universali affirmativa, minori universali negativa, & colligit particularem negativam hoc modo: *Omne vivens est substantia: nullus lapis est vivens: ergo aliqua substantia non est lapis.* Et concluditur indirecte: quia maius extremum *substantia* subjicitur in conclusione.

35. Quintus, scilicet *Frisesom,* ex maiori particu-

ticulari affirmativa, & minori universali negativa colligit particularem negativam indirecte hoc pacto: *Aliquod vivens est substantia: nullus lapis est vivens: ergo aliqua substantia non est lapis:* ubi etiam subjicitur in conclusione maius extremum, nempe *substantia.*

36. Arg. 1. Modi diversificantur per præmissas: sed primi tres modi indirecti habent easdem præmissas, quibus constant *Barbara, Celarent,* & *Darii:* ergo ab iis non differunt, nec consequenter sunt 5. modi indirecti. Resp. distingui per præmissas in ordine ad conclusionem, & ideo nego cons: quia, v.g. præmissæ in *Baralipton* sumuntur in ordine ad conclusionem indirectam; & in *Barbara* ad directam.

37. Arg. 2. Ex præmissis positis in *Celarent* non sequitur conclusio indirecta: ergo in mente non datur modus *Celantes.* Resp. neg. antec: quia ex quocunque sequitur antecedens, sequitur etiam consequens: sed ex iis sequitur conclusio in *Celarent,* quæ est antecedens conclusionis in *Celantes;* cum sit hujus conversa: ergo etiam conclusio indirecta sequetur ex iisdem præmissis.

38. Inst. A causis naturalibus necessario determinatis, quales sunt præmissæ, solum sequitur effectus ipsis debitus: sed conclusio indirecta non illis debetur: ergo ex iis non sequitur. Resp. neg. minorem: quia præmissis, quibus debet

debetur colligere antecedens, debetur etiam colligere consequens; cum etiam ad illud inclinent.

39. Arg. 3. Ex præmissis, quibus concluditur in *Ferio*, non constituitur modus alius indirectus, qui colligat convertentem conclusionis directe: ergo idem erit, datis præmissis in *Darii*. Resp. neg. conseq.; diversitas est: quia conclusio in *Ferio* est particularis negativa, quæ non convertitur, ut convertitur affirmativa in *Darii*.

40. Quæres, an solum in 1. figura dentur modi indirecti? Affirmat P. Fonf. Inst. Dial. lib. 6. c. 13. P. P. C. C., & alii. Prob: quia in sola 1. figura potest in conclusione prædicari majus extremum de majori: in aliis enim id perpetuo est maius extremum, quod in conclusione prædicatur: ergo solum in 1. figura dantur modi indirecti.

41. Duo hic sunt notanda. 1: ex maiori particulari nihil colligitur directe, ut v.g: *Aliqua substantia est homo: omnis lapis est substantia: ergo aliquis lapis est homo.* Ratio hujus est: quia tunc medius terminus *substantia* non distribuitur in aliquâ præmissarum complete, ut necessarium erat.

42. Notandum 2. idem dicendum, si minor sit negativa; quia arguetur à non distributo ad distributum hoc modo: *Omne animal est substantia: nullus lapis est animal: ergo nullus lapis est substan-*

Jubstantia, ubi *substantia* solum distribuitur in conclusione. Hæc duo non obstant in modis indirectis, ut *Frisesso*, & *Fapesmo*, & clauduntur hoc versu.

Sit minor affirmans, nec maior particularis.

QUÆSTIO QUARTA.

Quot sint modi concludendi in 2. figura?

43. SUnt 4. tantum modi, ut adstruit P. Fonsec. P.P. C.C., & alii. Probi quia solum modi designati per hæc vocabula *Cesare, Camestres, Festino, Baroco*, sunt apti ad concludendum: nunquam enim existet consequens falsum, datis præmissis veris; ut continget in aliis, quæ de novo assignentur: ergo sunt 4. tantum modi in 2. figura.

44. Primus ex mai. negativa, & min. affirmativa universalibus colligit universalem negativam, ut denotat *Cesare* v. g: *Nullus lapis est vivens: omne animal est vivens: ergo nullum animal est lapis.* Secundus modus *Camestres*, transpositis præmissis syllogismi in *Cesare*, colligit convertentem ipsius conclusionis.

45. Tertius ex mai. universali negativa, & min. particulari affirmativa colligit particularem negativam, ut denotat *Festino* v. g: *Nullus lapis est vivens: aliquod animal est vivens: ergo aliquod*

liquod animal non eſt lapis. Quartus, nempe *Baroco*, ex mai. univerſali affirmativa, & min. particulari negativa infert particularem negativam, ut v. g: *Omne animal eſt vivens: aliquis lapis non eſt vivens: ergo aliquis lapis non eſt animal.*

46. Arg. 1: *Ceſare*, & *Cameſtres* non ſunt modi eſſentialiter diverſi: ergo modi ſunt tantum tres. Reſp. neg. antec: quia ibi non datur mera tranſpoſitio ſumptionum: ſed maior in *Ceſare* continet maius extremum; & idem eſt de maiori in *Cameſtres*: deinde 2. modus colligit convertentem concluſionis illatæ in 1. modo: ergo ſatis diverſificantur.

47. Arg. 2. Hic ſyllogiſmus: *Nullus lapis eſt animal: omnis homo eſt animal: ergo aliquis homo non eſt lapis:* conſtituit modum diverſum: ergo non ſunt tantum quatuor. Reſp. neg. antec: cum enim pro univerſali inferat particularem ſub illa contentam, pertinet ad *Ceſare*, in quo colligitur univerſalis negativa ex præmiſſis aſſignatis.

48. Arg. 3. Hic ſyllogiſmus: *Nullum animal dormiens vigilat: ſed aliquis homo vigilat: ergo aliquis homo non eſt animal:* eſt in *Feſtino*: ſed non colligit: ergo non dantur tot modi. Reſp. neg. mai: quia debebat ſervari eadem ſuppoſitio; at in maiori *animal* ſupponit pro ſolis dormientibus, & in concluſione extenditur ad omne animal

49. Sta-

49. Stabilitur: quia ut syllogismus sit in aliquo modo, debet non argui à non distributo complete ad complete distributum, ut ibi accidit. Item concludendum erat: *Ergo aliquis homo non est animal dormiens*, ut inferretur idem maius extremum: si enim mutentur extremas quid mirum vitietur syllogismus?

50. Defectu distributionis etiam non colligit hic syllogismus: *Nullum dextrum est sinistrum: sed cujuslibet hominis oculus est sinister: ergo nullus hominis oculus est dexter*: quia distributio affirmativa in obliquo facta non distribuit terminum sequentem in recto. Unde inferendum erat: *ergo cujuslibet hominis oculus non est dexter*: quia ibi *oculus* non distribuitur.

51. Pro aliis scies 1. maiorem syllogismi in 2. figura semper esse universalem; si enim sit particularis, non colligit, ut: *Aliqua substantia est vivens: sed nullus lapis est vivens: ergo aliquis lapis non est substantia*: quia arguitur à non distributo ad distributum: *substantia* enim distribuitur in conclusione, & non in præmissis.

52. Scies 2. Aliquam ex præmissis semper esse negativam: aliter non erit bona consecutio, ut visitur in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: sed omnis equus est animal: ergo omnis equus est homo*: quia tunc medius terminus *animal* non distribuitur in præmissis, ut necessarium est. Hæc duo claudit hic versus.

Una

Una negans præeat, nec maior particularis.

QUÆSTIO QUINTA.

Quot ſint modi concludendi in tertia figura?

53. SEx tantum numerantur modi in hac figura, ſcilicet *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.* Ita P. Fonſ., & P.P. C.C. Prob: quia modi proxime dati recte concludunt; & non aſſignabuntur alii diverſi: ergo ſunt ſex modi; & tantum ſex. Antecedens fiet perſpicuum ab exemplis, & ſolutione argumentorum.

54. In *Darapti* ex duabus præmiſſis univerſalibus affirmativis infertur concluſio particularis affirmativa hoc modo: *Omnis homo eſt animal: omnis homo eſt vivens: ergo aliquod vivens eſt animal.* In *Felapton* ex duabus univerſalibus, mai. negativa, & minor. affirmativa infertur particularis negativa, ut: *Nullus homo eſt lapis: omnis homo eſt ſubſtantia: ergo aliqua ſubſtantia non eſt lapis.*

55. In *Diſamis* ex maiori particulari, & minori univerſali affirmativis colligitur particularis affirmativa, ut: *Aliquis homo eſt vivens: omnis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt vivens.* In *Datiſi* ex mai. univerſali, & min. particulari affirmativis infertur particularis affirma-

tiva, ut: *Omnis homo eſt vivens: aliquis homo eſt animal: ergo aliquod animal eſt vivens.*

56. In *Bocardo* ex mai. particulari negativa, & minori univerſali affirmativa ſequitur particularis negativa, ut: *Aliquod vivens non eſt lapis: omne vivens eſt ſubſtantia: ergo aliqua ſubſtantia non eſt lapis.* In *Feriſon* ex mai. univerſali negativa, & min. particulari affirmativa ſequitur particularis negativa, ut: *Nullum vivens eſt lapis: aliquod vivens eſt ſubſtantia: ergo aliqua ſubſtantia non eſt lapis.*

57. Arg. 1. Hic ſyllogiſmus: *Nullus homo eſt proprium: aliquis homo eſt riſibilis: ergo aliquod riſibile non eſt proprium*: non colligit in *Feriſon*: & tamen ſervat illius regulas: ergo. Reſp. neg. min: quia præter præmiſſas exigitur, quod non mutetur ſuppoſitio, ut ibi accidit; & ideo inepte fit conſecutio in tali ſyllogiſmo.

58. Elucidatur amplius: mutatur ſuppoſitio, quatenus *riſibile* in minori ſumitur pro hominis paſſione, ſive proprietate, nimirum *riſibilitate*, prout concernit, & denominat ſubjectū, in quo eſt; & in concluſione ſumitur quaſi abſtracte non concernendo ſubjectum; ſed prout eſt ſub ſecunda intentione, à qua denominatur proprium.

59. Arg. 2. Non bene concluditur: *Omnis homo loquitur: ſed Adam non loquitur: ergo Adam non eſt homo*: ergo modus *Baroco* non eſt aptus ad

ad concludendum. Resp. neg. conſ: ideo ibi non recte concluditur, quia arguitur à reſtricto ad non reſtrictum: *homo* enim reſtringitur ad ſolos præſentes ratione verbi *loquitur* præſentis temporis, & in concluſione diſtribuitur etiam pro præteritis.

60. Ad præcavendas objectiones pro augendis modis nota 1. minorem ſemper fore affirmativam, ne arguatur à non diſtributo ad diſtributum, ut: *Omnis homo eſt vivens: nullus homo eſt arbor: ergo aliqua arbor non eſt vivens*: nam ibi *vivens* diſtribuitur in concluſione, cum non ſit diſtributum in præmiſſis; & ideo nihil concluditur.

61. Nota 2. concluſionem in tertia figura ſemper eſſe particularem, ob rationem datam numero antecedente, ut viſitur in hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt animal: omnis homo eſt vivens: ergo omne vivens eſt animal*: ubi minus extremum *vivens* non diſtribuitur in aliqua præmiſſarum, ut debebat; ſed ſolum in concluſione. Hæc duo notanda indicat hic verſus.

Sit minor affirmans, concluſio particularis.

QUÆSTIO SEXTA.

Quæ ſint præcepta communia omnibus figuris?

62. PRo omnibus figuris ſex aſſignan-

tur regulæ. 1. Ex duabus particularibus nil colligitur vi formæ. 2. Idem est ex duabus negativis. 3. Si aliqua præmissarum sit particularis, etiam talis erit conclusio. 4. Ex præmissis, quarum una sit negativa, solum infertur conclusio negativa. 5. Medius terminus debet distribui complete in aliqua præmissarum.

63. 6. Nullus terminus, qui non distribuatur in antecedente, distribuendus est in consequente. Ratio priorum 4. regularum est: quia aliter vel terminus non distribuetur complete, vel arguetur à non distributo ad distributum. Ratio regulæ 5., & 6. est: quia alioquin inepta erit consecutio, ut in exemplis supra positis sit perspicuum. Totum patet subjectis carminibus.

1. *Nil sequitur puris ex particularibus aptum:*
2. *Exque negativis nil bene colligitur.*
3. *Si specialis erit, nihil hinc generale sequetur:*
4. *Si præmissa negans, inde ferenda negans.*
5. *Præmissis medium plene tribuatur, oportet:*
6. *Nec post ulla sonet vox magis, ante minus.*

64. Observa deinde 1. in propositione affirmativa universali solum distribui posse subjectum; prædicatum vero minime: at in affirmativa particulari neque prædicatum, neque subjectum. Observa 2. in propositione negativa universali distribui tam subjectum, quam prædicatum: in particulari vero negativa solum prædicatum distribui.

63. Arg.

65. Arg. 1. Hic syllogismus: *Nullus homo est lapis: nullus homo est lignum: ergo aliquid, quod non est lignum, est lapis*: colligit vi formæ: & tamen ambæ præmissæ sunt negativæ, & conclusio affirmativa: ergo regula 2., & 4. non subsistit. Resp. neg. mai: quia extrema præmissarum debebant esse extrema conclusionis, quod ibi non accidit.

66. Roboratur 1: quia conclusio imitatur præmissas, cum sit illarum effectus: ergo si præmissa aliqua sit negativa, non potest colligi conclusio affirmativa. 2. Quia ex eo præcise, quod duo negentur de uno tertio, non sequitur, quod sint idem inter se, ut certum est: quia lapis, & lignum negantur de homine, quin sint idem inter se.

67. Arg. 2. Medius terminus in 2. figura nunquam distribuitur: nam perpetuo est prædicatum, quod nullo signo distributivo, seu universali notatur, ut ait Aristoteles 1. Peri. c. 5: ergo fallit 5. regula. Resp. neg. antec: quia licet non distribuatur signo universali, distribuitur negatione, quæ negat copulam verbi.

68. Explicatur ulterius: quia syllogismus in 2. figura constitutus semper constat aliquâ præmissarum negativâ: ergo medius terminus necessario in altera distribuitur. Neque Aristoteles refragatur huic sententiæ; sed solum vult prædicatum propositionis universalis non affi-

afficiendum signo *omnis*, ut hic notat P. Fonf.

69. Arg. 3. Non bene concluditur: *Omne animal fuit in arca Noe: Bucephalus est animal: ergo Bucephalus fuit in arca Noe*: sed medium *Animal* distribuitur in maiori: ergo parum refert observatio 5. regulæ. Resp. in eo syllogismo nil concludi, quia medium non distribuitur complete pro singulis individuis omnium specierũ.

70. Arg. 4. Ex duabus affirmativis colligitur conclusio negativa, ut patet in *Fapesmo*: *Omnis equus est differens à lapide: omnis lapis est differens ab homine: ergo aliquis homo non est equus*: ergo ita erit è contra. Resp. neg. antec: sequitur enim ea conclusio; quia præmissa minor sumitur ut virtualiter negativa; cum idem sit differre ab alio, atque non esse ipsum aliud.

§. Hæc est aliquorum responsio, sed ego certius nego antec: quia ambæ præmissæ sunt æquipollenter negativæ: ex his autem, sicut ex formaliter negativis, nil concluditur vi formæ; in hac enim peccabit syllogismus, si mutetur materia, ut patet ex supra dictis n. 65. Igitur in eo syllogismo solum colligitur ratione materiæ.

71. Arg. 5. In hoc syllogismo: *Si Gabriel non est corpus, est spiritus: si Gabriel est Angelus, non est corpus: ergo si Gabriel est Angelus, est spiritus*: minor est negativa, & conclusio affirmativa: ergo non stat 4. regula. Resp. minorem esse in re affirmativam, & ideo sequi conclusionem affirma-

firmativam. Quod minor ſit in re, & virtualiter affirmativa,

72. Oſtenditur reducendo ſyllogiſmum hypotheticum ad abſolutum hoc modo: *Omne incorporeum eſt ſpiritus: omnis Angelus eſt incorporeus: ergo omnis Angelus eſt ſpiritus.* Additur ex minori negativa nihil concludi directe in prima figura, ut alibi ſtatuimus: ergo, ſi colligit is ſyllogiſmus, ſignum eſt minorem non eſſe in re negativam.

73. Simile placitum intellige in hoc ſyllogiſmo: *Numerus, vel eſt par, vel impar: ſed eſt par: ergo non eſt impar*: eſt enim virtualiter negativus, quod liquet per reductionem ſic: *Quod eſt par, non eſt impar: ſed eſt par: ergo non eſt impar.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quot ſint modi in ſyllogiſmo Expoſitorio?

74. SYllogiſmus Categoricus aut habet medium terminum communem, aut ſingularem: de primo hucuſque egimus: ſecundus vocatur *Expoſitorius*, & communiter definitur: *Qui conſtat medio termino ſingulari.* Si hoc genus ſyllogiſmorum, præter medium terminum ſingularem, habeat etiam utranque præmiſſam ſingularem,

75. Reſolvo 1. Syllogiſmus expoſitorius

duobus tantum modis colligit in 1. figura. Ita P. Fonſ. Ioſt, Dial. lib. 6. c. 23., & alii. Proba quia ſolum in his duobus modis nunquam reperitur conſequens falſum, datis præmiſſis veris. Prior modus ex utraque affirmativa colligit ſingularem affirmativam hoc modo: *Socrates eſt ſapiens: hic homo eſt Socrates: ergo hic homo eſt ſapiens.*

76. Poſterior modus ex maiori negativa, & minori affirmativa colligit ſingularem negativã hoc pacto: *Petrus non eſt doctus: hic homo eſt Petrus: ergo hic homo non eſt doctus.* Non datur 3. modus; quia is ſolum fieret, tranſpoſitis præmiſſis, & data minori negativa: at ita nil concluditur, ut: *Petrus eſt vivens: Paulus non eſt Petrus: ergo Paulus non eſt vivens.*

77. Reſolvo 2. Syllogiſmus expoſitorius colligit in 2. figura ſolum 3. modis. Ita P. Fonſ. ſupra cit. Idem eſt fundamentum, & non aſſignatur complicatio alia apta ad concludendum. Primus ex utraque affirmativa colligit ſingularem affirmativam, ut: *Marcus Tullius eſt Cicero: hic homo eſt Cicero: ergo hic homo eſt Marcus Tullius.*

78. Secundus ex mai. negativa, & min. affirmativa colligit ſingularem negativam hoc modo: *Paulus non eſt Joannes: hic homo eſt Joannes: ergo hic homo non eſt Paulus.* Tertius ex mai. affirmativa, & min. negativa colligit negativam,

ut

ut visitur in hoc syllogismo: *Hic homo est Antonius: Joannes non est Antonius: ergo Joannes non est hic homo.*

79. Resolvo 3. In 3. figura duobus tantū modis colligitur. Ita idem A., & ex eadem ratione. Prior ex utraque affirmativa colligit affirmativam, ut: *Socrates est sapiens: Socrates est pauper: ergo quidam pauper est sapiens.* Idem visitur in hoc syllogismo: *Socrates est doctus: Socrates est dives: ergo aliquis dives est doctus.*

80. Posterior ex maiori negativa, & min. affirmativa colligit negativam, ut: *Petrus non est doctus: Petrus est dives: ergo aliquis dives non est doctus.* Ex min. negativa nil concluditur vi formæ, ut patet in hoc syllogismo: *Paulus est animal: Paulus non est Antonius: ergo Antonius non est animal.*

81. Dixi supra n. 74: *Si etiam habeat utranque præmissam singularem*: quia si solum medius terminus sit singularis, totidem erunt modi in 1., & 2. figura, quot in syllogismis ex medio communi; nec ab illis differunt, nisi quod necessario habebunt maiores singulares ratione medii, quod in maiore subjicitur; ut bene notat P. Fonl. loco citato.

82. Additur in 2. figura præter 4. modos negative concludentes etiam concludi posse affirmative aliis 4. modis: 1. ex utraque universali affirmativa universalem: 2. ex maiori universali,

verſali, & min. particulari particularem: 3. ex maiori particulari, & minori univerſali univerſalem: 4. ex utraque particulari particularem. Hoc non eſt difficile exemplis illuſtrare.

83. Dices 1. Si utrumque extremum ſit ſingulare, poteſt concludi ex minori negativa vi formæ tam in 1. quam in 3. figura: ergo utriuſque figuræ plures ſunt modi. Patet antec. in his ſyllogiſmis: *Plato eſt hic Philoſophus: Socrates non eſt Plato: ergo Socrates non eſt hic Philoſophus.* Itē *Apelles eſt hic pictor: Apelles non eſt Zeuxis: ergo Zeuxis non eſt hic pictor.*

84. Reſp. neg. antec: quia ut concluſio ſequatur vi formæ ex præmiſſis, debet antecedenter negari id, quod negatur in concluſione, ut aliqualiter diſtribuatur in antecedente, quod diſtribuitur in conſequente: hoc autem non viſitur in ſyllogiſmis appoſitis. Si ſunt veri, id provenit ſolum ab exactiſſima utriuſque extremi ſingularitate.

85. Inſt. In hoc ſyllogiſmo: *Plato eſt hic ſapiens: Socrates non eſt hic ſapiens: ergo Socrates non eſt Plato:* non fit ſimilis diſtributio; in neutra enim præmiſſa negatur prædicatū concluſionis: & tamen concludit vi formæ in 2. figura: ergo. Reſp. neg. antec., & illius probationem: quia ſaltem mediate negatur prædicatum concluſionis.

86. Declaratur hoc amplius: quia de quocun-

cunque negatur consequens, negatur etiam antecedens: cum vero de *Socrate* negetur medius terminus *Hic sapiens*, sub quo continetur *Plato*, cum de hoc prædicetur; mediate, sive consequenter negatur *Plato*. At de quocunque negatur antecedens, non eo ipso negatur consequens; & hoc evenit in syllogismis datis.

87. Dices 2. Hic syllogismus: *Deus est Pater*: *Deus est Filius*: *ergo Filius est Pater*: non colligit: ergo 1. modus 3. figuræ non subsistit. Resp. neg. cons: ideo enim non colligit syllogismus appositus; quia medius terminus *Deus* non est omnino singularis, sive excludens omnem communicabilitatem; quod necessarium erat.

SECTIO SECUNDA.

De arcubus Pontis Aristotelici.

88. ARcus sunt regulæ ad inveniendum medium aptum, ut conclusio inferatur: vocantur à Philosophis *Pons*; quasi inde præcipitentur homines tardi ingenii; vel quod, eo superato, liceat ingeniosis quamlibet scientiam tuto pervagari. Arcus omnes tum stabiles, cum ruinosi ingeniose designantur his versibus.

Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco,
Gebali stant: sed non stant Febas, Hedas, & Hecas.

89. Pri-

89. Priores sex dictiones indicant 6. modos utiles, & ideo dicuntur stare; & constant 3. vocalibus, quod denotat posse inferri conclusionem. Tres ultimi significati per 3. ultimas dictiones sunt inutiles, & ideo dicuntur non stare, nec habent 3. vocales, ut cognoscatur non esse aptos ad inferendam conclusionem vi formæ.

90. Priores duæ vocales sex primarum dictionum denotant prædicatum, & subjectum; literæ consonantes, quæ præcedunt 2. primas vocales, indicant antecedens, vel consequens, aut repugnans illius termini, qui per vocalem, quam præcedunt, significatur. Vocales sunt *A*, & *E*; consonantes vero *B. C.*, & *D. F.*, & *G.*

91. Unde litera *A* designat prædicatum; *B.* consequens prædicati; *C* antecedens prædicati; *D.* repugnans prædicati. Litera *E* denotat subjectum; F consequens subjecti; *G* antecedens subjecti; *H* repugnans subjecti. Vocales in fine dictionis indicant conclusionem inferendam affirmativam, vel negativam, particularem, vel universalem. Hæc omnia his carminibus continentur.

Prædicat A, B sequitur, C præit, D que repugnat.
E subjit, F sequitur, G præit, H que repugnat.
Asserit A, negat E, verum generaliter amba:
Asserit I, negat O, sed particulariter amba.

92. Quædam adhuc sunt notanda: 1. illud

est

est *consequens* tam prædicati, quam subjecti, quod de utroque affirmatur. 2. Illud est *antecedens* prædicati, & subjecti, quod utrique subjicitur. 3. Illud est *repugnans* tam subjecti, quam prædicati, quod de utroque negatur. 4. Medium repugnans est indifferens, ut subjiciatur, vel prædicetur juxtà postulantiam figuræ, ad quam spectabit modus. His breviter prænotatis, sit

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum *Arcus utiles sint sex, & tantum sex?*

93. AFfirmant omnes Aristotelis sectatores. Prob: quia in primis sex arcubus supra positis, & solum in his nunquā existet consequens falsum, si antecedens sit verum, ut patebit experientia. Hæc doctrina generalis firmius retinebitur, & menti inerit, si de singulis modis, quibus arcus ministrant medium, differamus; & ideo

94. Dico 1. *Fecana* inservit ad probandum universalem affirmativam in *Barbara*, & particularem affirmativam in *Darii*: quia tunc medium debet esse antecedens prædicati, & hoc denotat *Ca*; item debet esse consequens subjecti, & hoc indicat *Fe*. Igitur ad probandam hanc conclusionem: *Omnis homo est animal*: medium erit *sensitivum*, quod est antecedens *animalis*, & conse-

conſequens *hominis*.

95. Totum patet in hoc ſyllogiſmo in *Barbara*: *Omne ſenſitivum eſt animal*: *omnis homo eſt ſenſitivus*: *ergo omnis homo eſt animal*. Et cum medium inſerviens ad probandam univerſalem, ordinetur etiam ad probandam illius particularem, colliget etiam in *Darii*, ſi minor, & concluſio ejuſdem ſyllogiſmi fiant particulares, ut patet.

96. Dico 2. *Cageti* miniſtrat medium ad probandum concluſionem particularem affirmativam in *Darapti*, *Diſamis*, & *Datiſi*: quia ad probandam talem concluſionem, v.g: *Aliquod animal eſt vivens*: debet medium eſſe antecedens tam prædicati, quam ſubjecti; cum ſemper ſubjiciatur: hoc autem denotat *Ca*, & *Ge*: igitur medium erit *homo*; cum ſit antecedens utriuſque.

97. Illuſtratur exemplis: *Omnis homo eſt vivens*: *omnis homo eſt animal*: *ergo aliquod animal eſt vivens*. Idem erit in *Diſamis*, ſi maior fiat particularis hoc modo: *Aliquis homo eſt vivens*: *omnis homo eſt animal*: *ergo aliquod animal eſt vivens*. Si vero maior ſit univerſalis, & minor particularis, fiet in *Datiſi*.

98. Dico 3. *Daſenes* exhibet medium ad probandum concluſionem univerſalem negativam in *Ceſare*, & *Celarent*; item ad particularem negativam in *Ferio*, & *Feſtino*. Primum conſtat: quia ad probandum in *Celarent* hanc concluſionem:

onem: *ergo nullus homo est lapis*: medium debet esse repugnans prædicati, & consequens subjecti, & hoc innuit *Da*, & *Fe*.

99. Ex hac ratione medium erit *animal*, quod est repugnans prædicati *lapis*, & consequens subjecti *homo* in hunc modum: *Nullum animal est lapis: omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis*: Idem erit in *Cesare*, mutata figura, ut: *Nullus lapis est animal: omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis.*

100. Primus syllogismus constituetur in *Ferio*, si minor, & conclusio fiant particulares. Secundus manebit in *Festino*, si similiter minor, & conclusio de universalibus fiant particulares hoc pacto: *Nullus lapis est animal: aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis.*

105. Dico 4. *Hebare* præbet medium ad inferendam conclusionem universalem negativam in *Celantes*, & *Camestres*, & particularem negativam in *Baroco*: quia hæ conclusiones probantur per medium consequens prædicati, & repugnans subjecti: hoc autem invenitur in *Hebare*, ut denotat *He*, & *Ba*.

102. Unde ad probandam hanc conclusionem in *Celantes*: *ergo nullus lapis est animal*: medium erit *vivens*, quod est repugnans subjecti, & consequens prædicati, & ita aptabitur syllogismus: *Nullum vivens est lapis: omne animal est vivens: ergo nullus lapis est animal.*

Digitized by Google

103. Adinferendum in *Camestres* eandem conclusionem sic disponetur syllogismus: *Omne animal est vivens: nullus lapis est vivens: ergo nullus lapis est animal.* Si vero minor, & conclusio de universalibus fiant particulares, syllogismus fiet in *Baroco*: medium enim colligens universalem infert etiam particularem, quando servatur eadem proportio cum extremis, & solum mutatur quantitas propositionis.

104. Dico 5. *Gedaco* sufficit medium ad inferendum indirecte particularem negativam in *Fapesmo*, & *Frisesó*; & directe in *Felapton*, *Bocardo*, & *Ferison*: quia ad probandum hanc conclusionem: *ergo aliqua substantia non est lapis*: requiritur medium antecedens subjecti, & repugnans prædicati: hoc autem ministrat *Gedaco*, ut indicat *Ge*, & *Da*.

105. Igitur ad probandam eam conclusionem in *Fapesmo* sume pro medio *vivens*, quod est antecedens subjecti, & repugnans prædicati, ut: *Omne vivens est substantia: nullus lapis est vivens: ergo aliqua substantia non est lapis.* Si vero maior fiat particularis, idem syllogismus erit in *Frisesó*.

106. Si velis probare eandem conclusionem in *Felapton*, sume idem medium *vivens*, modo figura syllogismi præcedentis mutetur hoc modo: *Nullum vivens est lapis: omne vivens est substantia: ergo aliqua substantia non est lapis.* Et si

maior

maior fiat particularis, erit syllogismus in *Bocardo* tertiæ figuræ; & in *Ferison*, si minor sit particularis.

107. Dico 6. In *Gebali* reperitur medium ad probandum conclusionem particularem affirmativam in *Dabitis*, & *Baralipton*: quia ad probandum v.g. hanc: *aliqua substantia est animal*: medium debet esse antecedens subjecti, & consequens prædicati: sed hoc ministrat *Gebali*, ut indicat *Ge*, & *Ba*: ergo.

108. Medium igitur erit *vivens*; cum sit antecedens *substantiæ*, & consequens *animalis*, & ita constituetur syllogismus in *Baralipton*: *Omne vivens est substantia*: *omne animal est vivens*: *ergo aliqua substantia est animal*. Idem syllogismus construetur in *Dabitis*, si minor de universali transeat in particularem.

109. Non sunt audiendi, qui volunt *Gebali* etiam inservire ad *Disamis*: afferunt enim in exemplum hunc syllogismum: *Aliquod vivens est homo*: *omne vivens est substantia*: *ergo aliqua substantia est homo*: sed minus bene; quia medium *vivens* non est consequens; cum non affirmetur, sed semper subjiciatur.

110. Fatemur talem syllogismum colligere vi formæ in *Disamis*; at non habet medium repertum in *Gebali*; cum non sit logice consequens; sed in *Cageti*, cum sit antecedens tam prædicati, quam subjecti, eo quod utrique subjici-

retur in præmissis. Neque enim aliter potest disponi medium in modis tertiæ figuræ. Quibus modis quilibet arcus inserviat, subscriptis carminibus continetur.

Fecana vult Darii, simul & sibi Barbara poscit.
Cageti exposcit Disamis, Datisi, atque Daraptis.
Dafenes at Cesare, Ferio, Festino, Celarent;
Hebare Celantes, Baroco, atque Camestres.
Gedaco indirecta petit Fapesmo, Frisesо;
Directe Felapton amat, Bocardo, Ferison.
Gebali Dabitis, Baraliptonque reposcit.

QUÆSTIO SECUNDA.

An stent *Febas*, *Hedas*, & *Hecas*?

111. NEgant Aristotelici, quibus consentiunt fere omnes. Prob: quia medium repertum in *Febas* est consequens prædicati, & subjecti; & denotat utranque præmissam affirmativam, ex qua nil colligitur in 2. figura, cui solum inserviret. Item medium per *Hedas*, cum sit repugnans prædicati, & subjecti, indicat præmissas negativas, ex quibus nil concluditur.

112. *Hecas* denotat medium repugnans subjecti, & antecedens prædicati, & consequentem constituet minorem negativam: ex hac autem nihil directe colligitur in 1., & 3. figura, quibus

quibus tantum inserviret tale medium; eo quod sit antecedens prædicati, & subjici debeat in aliqua præmissarum: ergo hi arcus sunt rumosi.

113. Arg. 1. Hic syllogismus: *Nullus lapis est homo: aliquod animal est homo: ergo aliquis lapis non est animal*: disponitur per medium *Hecas* in *Festino*; cum sit repugnans subjecti, & antecedens prædicati. Resp. neg. antec., & illius probationem: quia *homo* non est logice antecedens *animalis*, cum illi non subjiciatur.

114. Inst: Talis syllogismus est recte dispositus in *Festino*: sed non per aliud medium: ergo per *Hecas*. Resp. neg. mai: quia *Festino* exigit maiorem negativam; at maior est particularis affirmativa, quæ ponitur 2. loco, cum habeat prædicatum conclusionis. Deinde nil concludit vi formæ, ut planum erit, si pro *lapide* substituas *equum*.

115. Repl: Saltem si hæc sit conclusio: *ergo aliquod animal non est lapis*: colliget in *Festino*: ergo per medium *Hecas*. Resp. neg. conseq: quia medium *Homo* est logice consequens subjecti, & repugnans prædicati: at simile medium non reperitur in *Hecas*, sed in *Dafenes*, ut innuit utriusque explicatio.

116. Arg. 2. *Hecas* inservit ad *Felapton*, ut visitur in hoc syllogismo: *Nullus homo est lapis: omnis homo est animal: ergo aliquis lapis non est animal*: in quo medium *Homo* est antecedens

prædicati, & consequens subjecti: ergo. Resp. negs. antec: quia *Felapton* non habet mai. affirmativam, & min. negativam, ut accidit in hoc syllogismo.

117. Suadetur hæc doctrina: quia maior est illa, quæ continet prædicatum conclusionis, sive maius extremum: cum vero illud contineat propositio posita 2. loco, ipsa est maior; & consequenter alia est minor. At in 3. figura nil concluditur eo modo vi formæ, eo quod fiat consecutio à non distributo ad distributum.

118. Arg. 3. Hic syllogismus: *Omnis homo est animal: nullus lapis est homo: ergo aliquod animal non est lapis*: colligit indirecte in *Fapesmo*: sed per medium in *Hecas*: ergo. Resp. neg. min: quia ibi medium *Homo* est antecedens subjecti, & repugnans prædicati, ut patet; & hoc medium præstat *Gedaco*, & non *Hecas*.

119. Arg. 4. Hic syllogismus: *Nullum vivens est lapis: aliquod animal est vivens: ergo aliquis lapis non est animal*: concludit indirecte vi formæ: sed non habet medium per aliquem ex 6 arcubus: ergo. Resp. neg. mai: quia, stantibus iisdem præmissis, consecutio erit falsa, si pro *animali* ponatur *substantia*.

120. Arg. 5. Recte concluditur: *Omne id, quod non est animal, non est sensitivum: lapis non est animal: ergo lapis non est sensitivus*: sed per medium *Hedas*: ergo. Resp. neg. min: quia minor

syllo-

syllogismi est affirmativa; debet enim suppleri, quod deest, & ita aptari: *lapis est id, quod non est animal.*

121. Explicatur amplius: quia in minori debet poni totus medius terminus: hic autem non est solum *animal*, sed *id, quod non est animal*: & cum ibi affirmetur præcipuum prædicatum, propositio est affirmativa. Unde tale medium reperitur in *Dafenes*: est enim repugnans prædicati, & consequens subjecti; & disponitur in *Celarent.*

122. Arg. 6. *Febas*, & *Hecas* inserviunt ad probandas conclusiones singulares per syllogismum expositorium: nam *Febas* colligit in 2. figura, & *Hecas* in 1., & 3. figura: ergo. Resp: neg. conseq: siquidem loquimur de medio communi, & non de medio singulari, ut habetur in syllogismo expositorio.

123. Pro aliis solvendis scies 1. nil colligi vi formæ in hoc syllogismo: *Aliquod vivens non est lapis: omne animal est vivens: ergo aliquis lapis non est animal*: ut patebit, si loco termini *lapis* ponatur *homo*: inferetur enim hæc conclusio falsa, datis iisdem præmissis: *ergo aliquis homo non est animal.*

124. Scies 2. hunc syllogismum: *Nullum vivens est lapis: omnis homo est vivens: ergo aliquis lapis non est homo*: recte colligere in *Celarent*, sed per medium repertum in *Hebare*; cum ibi medi-

medium *vivens* sit repugnans subjecti, & consequens prædicari, ut innuit *He*, & *Ba*. Igitur non colligit per *Hecas*, neque per *Gedaco*.

QUÆSTIO TERTIA.

Explicatur forma aliorum syllogismorum.

115. SYllogismus Hypotheticus, qui constat altera saltem præmissarum hypothetica, duplex est: primus, in quo maior est tota conditionalis, & antecedens ipsius conditionalis est minor. Secundus est, in quo tota conditionalis sit maior, & oppositum consequentis sit minor, ut: *Si sol lucet dies est: sed dies non est: ergo sol non lucet.*

116. Syllogismi Hypothetici duplex figura esse dicitur. Prior est, cum ponitur antecedens, ut ponatur consequens. Posterior, cum tollitur consequens, ut tollatur antecedens. Utriusque exempla sunt passim obvia. Modi singularum sunt quatuor, quos brevi syllabo recenset P. Fons. Inst. Dial. lib. 6. c. 32.

117. Primum genus syllogismi concludit 1. si utraque pars conditionalis affirmet, ut: *Si est rationalis, est risibilis: sed est rationalis: ergo est risibilis.* 2. Si utraque pars sit negativa, ut visitur in hoc syllogismo: *Si non est rationalis, non est risibilis: atqui non est rationalis: ergo non est risibilis.*

sibilis.

128. Colligit 3. si prima pars sit affirmativa, & secunda negativa, ut: *Si est rationalis, non est hinnibilis: sed est rationalis: ergo non est hinnibilis.* 4. Si prima pars sit negativa, & secunda affirmativa, ut: *Si non est animal, est insensibile: sed non est animal: ergo est insensibile.*

129. Secundum genus syllogismi, de quo supra n. 125. totidem modis concludit: 1. si antecedens, & consequens sit affirmativum: 2. si utrumque sit negativum: 3. si antecedens sit affirmativum, & consequens negativum: 4. si antecedens sit affirmativum, & consequens negativum. Hæc attigisse sit satis, exempla facile occurrent.

130. In syllogismis copulativis negativis, in quibus negatur copula, una tantum figura esse videtur, nimirum, si altera pars propositionis ponitur, ut altera tollatur, ut: *Non & dies est, & nox est: sed est dies: ergo nox non est:* vel, *est non: ergo non est dies.*

131. Non datur alia figura: hæc enim esset, quando altera pars propositionis tolleretur, ut poneretur alia; verum hoc modo non recte concluditur, ut si dicas: *Non & Socrates deambulat, & sedet: sed non deambulat: ergo sedet:* vel, *sed non sedet: ergo deambulat:* consequentia enim non sequitur; siquidem potest cubare.

132. Syllogismi hujus generis tres sunt

modi: 1. si utraque pars propositionis affirmet, ut in proposito exemplo. 2. Si utraque neget, ut: *Non & Socrates non dormit, & non vigilat: sed non dormit: ergo vigilat*: vel, *sed non vigilat: ergo dormit*. 3. Si altera tantum pars affirmet, ut: *Non & Petrus deambulat, & non movetur: sed deambulat: ergo movetur*: vel, *sed non movetur: ergo non deambulat*.

133. In syllogismis disjunctivis affirmativis, in quibus particula disjunctiva non negatur, duplex est figura, dummodo disjunctio sit ex repugnantibus. Prior ponit alteram partem propositionis, ut alterá tollat. Posterior tollit alteram, ut aliam ponat. Dixi: *ex repugnantibus*: quia aliter sola 2. figura erit apta.

134. Suadetur hoc: quia si disjunctio ex duabus partibus non repugnantibus est vera, & altera pars est falsa, consequenter vera erit altera: aliter tota propositio esset falsa. At non sequitur falsam esse alteram partem, si una sit vera; cum utraque vera esse possit, ut planum est.

135. Modus singularum est triplex: 1. si utraque pars affirmet, ut: *Aut dies est, aut nox est: sed est dies: ergo non est nox*. 2. Si utraque neget, ut: *Aut dies non est, aut nox non est: sed non est dies: ergo nox est*. 3. Si altera tantum pars affirmet, vel neget, ut: *Aut dies est, aut sol non lucet: sed dies est: ergo sol lucet*. Hi modi spectant ad 1. figuram.

136. Posterioris figuræ modi ita similiter disponuntur: 1. si utraque pars sit affirmativa, ut: *Aut dies est, aut nox est: sed non est dies: ergo est nox.* 2. Si utraque sit negativa, ut: *Aut dies non est, aut nox non est: sed est dies: ergo non est nox.* 3. Si altera tantum affirmet, ut si detrahas primum *Non* in maiori proxima.

137. Syllogismos de conditionalibus negativis omisimus, quia fere non sunt in usu. Nil etiam diximus de copulativis affirmativis; quia hi, in quibus non negatur conjunctio, nulli sunt: tunc enim potius sunt enthymema, quam syllogismi. Hæc sint satis pro hoc genere syllogismorum: reliqua enim spinosa admodum sunt, & parum frugifera, ut ait P. Fonseca.

SECTIO TERTIA

De Reductione syllogismorum.

138. Conveniunt Dialectici omnes modos concludendi præter 4. primæ figuræ esse imperfectos: quia soli primi 4. modi primæ figuræ ita perspicue colligunt, ut nulla sit opus arte ad id demonstrandum. Alii vero non ita concludunt, ut necessitas colligendi statim appareat, sed indigent reductione ad aliquem ex 4. modis.

139. Reductio triplex est: una *ostensiva*, sive

sive per conversionem; altera per deductionem *ad impossibile*; & tertia *per expositionem*. Tunc fit reductio syllogismi, quando hic dispositus in aliquo ex 15. modis omnium figurarum, inde transmutatur ad unum ex primis quatuor modis primæ figuræ. His præhabitis, sit

QUÆSTIO PRIMA.

Quomodo fiat reductio ostensiva?

140. TUnc fit hæc reductio, quando ex præmissis syllogismi imperfecti colligitur per perfectum conclusio imperfecti, facta aliqua conversione saltem conclusionis. Ratio hujus est: quia quidquid sequitur ex consequente, sequitur etiam ex antecedente: ergo conclusio, quæ sequitur ex præmissis perfecti, sequitur utique ex præmissis imperfecti; cum ex his aliæ efficiantur.

141. Ad meliorem intelligentiam aliqua sunt observanda: 1. syllogismus imperfectus reducendus est ad illum modum syllogismi perfecti, qui habeat similem literam consonantem initiativam. Ea de causa *Baralipton* reducitur ad *Barbara*; & idem est de *Disamis* ad *Darii*, *Celantes* ad *Celarent*, & *Felapton* ad *Ferio*.

142. Excipe ab hac regula syllogismos factos in *Baroco*, & *Bocardo*: cum enim constent duabus

duabus propositionibus particularibus negatis vis, quæ nulla conversione possunt fieri universales affirmativæ, quibus constare debet syllogismus factus in *Barbara*, ad quem modum reducendi erant; solum possunt reduci *per impossibile*.

143. Observandum est 2. in dictione cujuslibet modi imperfecti reperiri has literas *S.P. M. C.*, quarum quælibet posita post aliquam ex his vocalibus *A. E. I. O* suam habet significationem conducentem ad reductionem clare faciendam. Sunt enim nomina modorum adeo artificiose composita, ut literæ significent modum reductionis.

144. Litera *S* indicat propositionem significatam per vocalem immediate antecedentem debere converti simpliciter: *P* denotat convertendam esse per accidens. Litera *M* in quocunque loco inveniatur, significat transpositionem præmissarum, id est, mutationem maioris in minorem, & è contra minoris in maiorem.

145. Hæc transpositio præmissarum intelligenda est secundum ordinem, & naturam requisitam ad syllogismum constituendum; & fit in reducendis 4. modis *Fapesmo*, *Frisesomo*, *Camestres*, & *Disamis*: quia in 1. figura nec minor potest esse negativa, ut in tribus prioribus; nec maior particularis, ut in quarto.

146. Litera *C* in medio dictionis denotat syllo-

syllogismum in talibus modis non posse reduci per *ostensionem* ad aliquem ex 4. modis perfectis ob rationem supra datam n. 142; sed solum *per impossibile*. Hi modi sunt duo tantum *Bocardo*, & *Baroco*, qui solum habent literam *C* in medio. Hæc omnia explicantur his versibus.

S. vult simpliciter verti, P. verte per accid.
M. vult transponi, C. per impossibile duci.

147. Exemplis res illustratur: syllogismus positus in *Frisesom*: *Aliquis homo est animal: Nullus lapis est homo: ergo aliquod animal non est lapis*: reducendus est ad *Ferio*, ut notat litera *F* utriusque modi initiativa. Unde cum post *i* vocalem *I.* sequatur *S.* in *Frisesom*, maior convertenda est simpliciter, & idem est de minori, cum post *E.* etiam sequatur *S.*

148. Demum litera *M.* indicat translocandas esse præmissas, ita ut maior fiat minor, & minor evadat maior: conclusio semper manet eadem, quia est, quæ demonstratur per reductionem. Igitur ita reducendus est ad *Ferio*: *Nullus homo est lapis: aliquod animal est homo: ergo aliquod animal non est lapis.*

149. Syllogismus in *Fapesmo*, v.g. hic: *Omnis homo est substantia: nullus lapis est homo: ergo aliqua substantia non est lapis*: reducitur ad *Ferio* conversione per accidens maioris, & simpliciter minoris, & præmissarum transpositione in hunc modum: *Nullus homo est lapis: aliqua substantia*

stantia est homo: ergo aliqua substantia non est lapis.

150. *Cesare* reducitur conversione simplici maioris, & illatione suæ conclusionis in *Celarent*. Unde reductio hujus: *Nullus lapis est animal: omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis*: disponitur in hunc modum: *Nullum animal est lapis: omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis.*

151. *Celantes* reducitur ad *Celarent*, facta solum conversione conclusionis. *Festino* simplici conversione maioris, & illatione suæ conclusionis reducitur ad *Ferio*. *Camestres* conversione simplici minoris, facta etiam transpositione præmissarum, & illatione conversæ suæ conclusionis, probatur in *Celarent*.

152. *Darapti*, facta conversione per accidens minoris, & illatione suæ conclusionis, disponitur in *Darii*. *Felapton* conversione per accidens minoris, & illatione suæ conclusionis in *Ferio*. *Disamis* ad *Darii* conversione simplici maioris, translocatione præmissarum, & simplici conversione conclusionis.

153. *Datisi* conversione simplici minoris, & illatione suæ conclusionis reducitur ad *Darii*. *Ferison* probatur conversione simplici minoris, & illatione suæ conclusionis in *Ferio*. *Bocalipton* probatur in *Barbara*, facta solum conversione per accidens suæ conclusionis particularis in universalem, ut denotat *P.* post literam *I.*

154.

154. Arg. 1. Vocalis antecedens literam *P.* est *I*, quæ significat particularem affirmativam: sed hæc solum convertitur simpliciter juxta Aristotelem: ergo non bene fit reductio in *Baralipton* ad *Barbara*. Resp. disting. min: solum convertitur simpliciter, sumpta absolute, & regulariter loquendo, conc: sumpta ut conversa per accidēs suæ universalis, nego min., & etiam consequentiam.

155. Expenditur solutio: quia conclusio in *Baralipton* sumitur ut conversa per accidens suæ universalis; cum nihil aliud sit conclusio in *Baralipton* nisi indirecta conclusio *Barbara*: sed conclusio *Barbara*, utpote universalis affirmativa, convertitur in partem: ergo conclusio *Baralipton* potest iterum in illam converti; proindeque recte fit reductio.

156. Arg. 2. Hic syllogismus: *Nullum animal est lapis: omnis homo est animal: ergo aliquis lapis non est homo*: est in *Celantes*, cum inferatur particularis contenta sub universali: sed non reducitur ad *Celarent*, cum particularis negativa non convertatur: ergo. Resp. neg. min., & illius probationem: convertitur enim virtualiter ratione suæ universalis.

QUÆS-

QUÆSTIO SECUNDA.

Quomodo fiat reductio ad impossibile?

157. TUnc fit hæc reductio, cum ex contradictoria conclusionis, & altera præmissa syllogismi imperfecti concessa, colliguntur per syllogismum perfectum duæ contradicentes, aut contrariæ enuntiationes. Ita P. Fons. Inst. Dial. lib. 6. c. 25. Dicitur: *ad impossibile*: quia qui neget conclusionem syllogismi imperfecti, postea convictus per reductionem cogetur admittere duo contradictoria simul vera; quod est impossibile.

158. Elucidatur amplius: hoc modo fit reductio, si negetur conclusio deducta in *Bocardo*, concessis præmissis; sumatur pro maiori contradictoria conclusionis negatæ, & minor syllogismi imperfecti sit etiam minor in perfecto, & inferatur conclusio opposita alteri præmissæ remanenti; & sic cogetur negans admittere duo contradictoria.

159. Totum patet exemplo; hic syllogismus in *Bocardo*: *Aliquod animal non est homo, omne animal est vivens: ergo aliquod vivens non est homo*: sic reducitur ad *Barbara*: *omne vivens est homo: omne animal est vivens: ergo omne animal est homo*: servatis regulis, quas proxime exposuimus.

simus.

160. En in hoc syllogismo negans conclusionem imperfecti non potest negare maiorem: quia contradicit conclusioni negatæ, & duo contradictoria non possunt ambo negari; alterum enim est verum. Deinde non potest negare minorem, utpotejam concessam in 1. syllogismo, in quo etiam erat minori item non potest negare conclusionem, quæ est contradictoria maioris primi syllogismi: ergo convincitur, dũ cogitur admittere 2. contradictorias simul veras.

161. Ex eadem ratione hic syllogismus constructus in *Baroco*: *Omnis homo est animal: aliquis lapis non est animal: ergo aliquis lapis non est homo*: si aliquis neget consecutionem, ita debet reduci ad *Barbara*: *Omnis homo est animal: omnis lapis est homo: ergo omnis lapis est animal*: & dabit 2. contradictorias simul veras.

162. Syllogismus in *Fapesmo* ita dispositus: *Omnis homo est substantia: nullus lapis est homo: ergo aliqua substantia non est lapis*: ita reducitur ad *Barbara*: *Omnis substantia est lapis: omnis homo est substantia: ergo omnis homo est lapis*: ubi facta reductione cogitur negans dare 2. contrarias simul veras.

163. Duo hic advertenda sunt: 1. in reductione syllogismorum imperfectorum primæ figuræ contradicens conclusionis imperfecti faciendã

cienda est maior perfecti, & maior imperfecti minor, ut visitur in exemplo proxime dato. Excipe modum *Celantes*, ubi contradicens conclusionis imperfecti facienda est minor perfecti, & minor imperfecti maior, ut his versibus declaratur.

Maior erit minor, & sit contradictio maior:
Excipe Celantes, in quo prævertitur ordo.

164. Advertendum 2. in reducendis modis 2. figuræ contradictoria conclusionis facienda est minor, relicta eadem maiore: in modis vero 3. figuræ contradictoria conclusionis syllogismi imperfecti ponenda est pro maiori, relicta eadem minore, ut aperiunt subscripta carmina, & patet ab exemplis datis num. 160, & 161.

Servat maiorem, variatque secunda minorem.
Tertia maiorem variat, servatque minorem.

165. His observatis, nullo negotio ad modum perfectum imperfectus quisque reducetur per deductionem *ad impossibile*, quam reductionem non esse admodum propriam credit Fons. Instit. Dial. lib. 6. c. 25. Verum ut altius menti insit doctrina hactenus tradita, & sit in promptu, ad quem modum perfectum reducendus sit modus syllogismi imperfecti, accipe hunc versum.

Phabifer axis obit terras, atque amque quotannis.

166. Duæ primæ dictiones inserviunt 1. figuræ; duæ sequentes secundæ, & duæ extre-

mæ, tertiæ. In iis dictionibus sunt 4. vocales *A, E, I, O*, quæ designant conclusiones 4. modorum perfectorum, ac proinde modos, ad quos reducendi sunt modi imperfecti. Unde *A* denotat *Barbara*, *E Celarent*, *I Darii*, & *O Ferio*.

167. In dictionibus non est habenda ratio vocalium, quibus diphthongi incipiunt. Prima dictio significat primum modum ex imperfectis 1. figuræ reduci ad *Celarent*, secundum ad *Darii*, tertium ad *Celarent*. Secunda indicat ex duobus sequentibus *Fapesmo* reduci ad *Barbara*, & *Frisesom* ad *Darii*. Ex his intelliges, quid cæteræ dictiones significent.

QUÆSTIO TERTIA.

Quomodo fiat reductio per expositionem?

168. Reductio expositoria in modis 3. figuræ dupliciter fit: 1. concludendo ex præmissis syllogismi imperfecti præmissas expositorii, ex quibus conclusio imperfecti colligatur. Ita P. Fonf. Inst. Dial. lib. 6. c. 28. Ratio hujus est: quia quod sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente: ergo conclusio illata ex præmissis expositorii, sequetur etiam ex præmissis imperfecti, ex quibus aliæ efficiuntur.

169. Exemplum sit hic syllogismus in *Dara-*

Darapti: *Omne animal est sensitivum: omne animal est corpus: ergo aliquod corpus est sensitivum.* Siquis neget bonam esse consecutionem, fiet reductio per syllogismum expositorium hoc pacto: *Hoc animal est sensitivum: hoc animal est corpus: ergo aliquod corpus est sensitivum.*

170. Reductio per syllogismum expositorium fit 2. modo, siquis sumat sub medio termino aliquid singulare, ex cujus complicatione cum extremis fiat syllogismus expositorius, qui eandem colligat conclusionem. Hic modus reducendi inservit præcipue, ubi locum non habeat primus modus assignatus, ut bene notat P. Fons. supra citatus.

171. Hæc doctrina elucidatur: siquis neget recte concludere hunc syllogismum in *Disamis*: *Aliquis homo est grammaticus: omnis homo est animal: ergo aliquod animal est grammaticum*; sic reducetur: *Petrus est grammaticus: Petrus est animal: ergo aliquod animal est grammaticum.* Idem fiet in aliis modis.

172. Limita hunc 2. modum ad syllogismos constantes præmissa particulari admittente descensum disjunctivum: aliter propositio singularis assumpta in majorem erit falsa, ut patet: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum: omnis oculus est pars capitis: ergo aliqua pars capitis est necessaria ad videndum*: siquidem in reductione major esset hæc: *Hic oculus est necessarius ad vi-*

dendum quæ eſt falſa.

173. Dixi ſupra: *Ubi locum non habeat primus modus aſſignatus*: quia ſæpe ex præmiſſis imperfecti ſyllogiſmi colligi non poſſunt præmiſſæ expoſitorii, ut in cæteris quatuor modis tertiæ figuræ: ex particulari enim propoſitione non colligitur ſingularis, ut bene advertit idem P. Fonſ. ſupra citatus.

174. Hactenus egimus de reductione expoſitoria in modis 3. figuræ: quia ille potiſſimum dicitur ſyllogiſmus expoſitorius, qui conſtruitur in 3. figura; cum in ea perpetuo ſubjiciatur medius terminus; & naturale ſit terminis ſingularibus, quale eſt *medium* expoſitorii, ut ſubjiciantur. Per hoc non negamus, quod alii modi ita poſſint reduci.

SECTIO QUARTA.

De fallaciis ſyllogiſmi, ſive de Elenchis.

175. Elenchus idem eſt, atque ſyllogiſmus ſophiſticus, & definitur: *Is, qui ex probabilibus, iisve, quæ videntur probabilia, colligere videtur, nec colligit.* Non addimus his alias particulas, quas affert P. Fonſ. Inſt. Dial. lib. 8. c. 2., quia loquimur de elenchis peccantibus ſolum in forma; de habentibus vitium in materia, alibi egimus.

176.

176. Præcipuus sophistarum finis est sapientiam fallaciis ostentare, quem finem ut assequi possint, in aliquod ex quinque incommodis adversarium inducere conantur: 1. ut aperte falsum concedat: 2. ut aliquid jam concessum neget: 3. ut inopinabile proferat: 4. ut solæcismum committat: 5. ut in repetitionem inutilem impellat.

177. Loci, ex quibus sophistæ suas eruunt fallacias, & argumenta captiosa depromunt ad coarguendum, sunt numero tredecim: sex in verbis, & septem in rebus. Hi omnes nominibus argumentorum, quæ ex ipsis deducuntur, captiones etiam, & fallaciæ appellantur. His præhabitis, fit

QUÆSTIO PRIMA.

Explicantur captiones ex parte vocum.

178. PRima fallacia ex parte vocis est *Æquivocationis*, & accidit, cum sophista alium decipit æquivocatione vocabuli, ut siquis v.g. dicat: *Gallus canit media nocte: hic homo est Gallus: ergo canit media nocte.* Æquivocatio est in verbo *Gallus*, quod in majori sumitur pro gallo ave, & in minori pro homine Franco.

179. Secunda est *Amphibologiæ*, sive *Ambiguitatis*, & fit in oratione, sicut prima in voce

simplici, quando sermo plures habet sensus sive proprios, sive metaphoricos, ut visitur in hoc exemplo: *Hic liber est Aristotelis: sed quidquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele: ergo hic liber possidetur ab Aristotele.*

180. Sensus ambiguus est in maiori propositione: siquidem non satis perspicuum est, an significet librum editum esse ab Aristotele, an ab illo possideri. Idem visitur in hoc: *Quoscunque vellem me capere, vellem, ut me caperent: sed hostes vellem me capere: ergo vellem, ut hostes me caperent*: in quo minor æque significat meam voluntatem capiendi hostes, & ut capiar ab hostibus.

181. Tertia est *Compositionis*, & datur, quando alicui subjecto tribuitur prædicatum in sensu composito, quod ei solum convenit in sensu diviso, ut si dicas: *Qui surgebat, stat: sedens surgebat: ergo sedens stat.* Peccat fallacia *Compositionis*: quia sumitur conclusio in sensu composito, cum deberet sumi in sensu diviso.

182. Quarta est *Divisionis*, & datur, quando prædicatum tribuitur subjecto in sensu diviso, quod solum ei convenit in sensu composito, ut si dicas: *Impossibile est sedentem ambulare: sed Petrus sedet: ergo ambulare non potest.* Vitium est: quia Petrus solum non potest ambulare, quatenus sedet, & non absolute.

183. Quinta est *Accentûs*, & datur, quando

vox

vox habet acentum gravem, & profertur acuto, vel è contra, ut si dicas: *Qui leporem venatur, plurima lustrat loca: sed tu domi sedens leporem venaris: ergo cum domi sedes, plurima lustras loca.* Peccatin voce *leporem*, quæ ob diversum accentum in maiori significat leporem animal, & in minori facetiam, vel urbanitatem.

184. Simile est sophisma, si dicatur: *Quidquid edis, devoras: sed librum edis: ergo librum devoras.* Datur in eo fallacia *Accentûs*, quatenus verbum *edis* habet primam brevem in maiori, & in minori longam; & sub ea diversitate habet duplicem significationem: quia in 1. loco sumitur pro comedere, & in 2. pro dare in lucem.

185. Sexta est *Figuræ dictionis*, & fit 1., quando datur deceptio ob similitudinem dictionum, ut si dicas: *Frons, & pons eodem modo terminantur: sed frons est generis feminini: ergo etiam pons.* Fit 2. cum verba diversi prædicamenti videntur ad idem pertinere, ut si dicas: *Quem hominem vidisti heri, vidisti hodie: sed heri vidisti hominem sanum: ergo & sanum vidisti hodie:* ubi *sanum* sumitur pro substantia, & pro qualitate.

QUÆSTIO SECUNDA.

Declarantur fallaciæ ex parte rerum?

186. PRima est *Accidentis*, sive *Prædi-*

cati, & fit, quando quis existimat aliquid convenire, vel non convenire prædicato ex eo, quod conveniat, vel non conveniat subjecto, aut è contra, ut v. g. si dicas: *Animal est genus: homo est animal: ergo homo est genus.* Decipitur; quia credit convenire prædicato *Homo*, quod convenit subjecto *Animal*.

187. Idem accidit è contra quoad disconvenientiam in hoc sophismate: *Animal non est species infima: homo est animal: ergo homo non est species infima.* Datur ibi deceptio: quia defendens existimat negari posse de subjecto, quidquid negatur de prædicato.

188. Secunda est *A simpliciter ad secundum quid*, & è contra: & datur, quando id, quod convenit secundum quid, simpliciter affirmatur, ut: *Omnis homo est animal: sed hic* (designando hominem pictum) *est homo: ergo est animal.* Velita: *Omni homini christiano licet vesci carnibus: hic homo est christianus: ergo huic homini licet vesci carnibus feria sexta.*

189. Tertia est *Ignorationis Elenchi*. Elenchus, prout hic sumitur à Philosopho: *Est syllogismus colligens contradictoriam, vel contrariam propositionis concessæ ex defectu alicujus conditionis.* Conditio est prædicatum secundum idem, ad idem, in eodem loco, & tempore. Hujus defectu fallit hic syllogismus: *Æthiops est niger corpore, & non dentibus: ergo est niger, & non niger.*

ger.

190. Quarta est *Petitio principii*, & datur, quando quis assumit in antecedente, quod erat probandum in consequente, sive hoc fiat sub eisdem, aut sub diversis terminis, ut si probes Alexandrum esse Philippi filium, ex eo quod Philippus sit Pater Alexandri. Conclusio dicitur *Principium*, quatenus initio proponitur, ut probetur.

191. Quinta est *Consequentis*. Fit dupliciter: 1. cum ex consequente colligitur antecedens, ut si dicas: *Si paulo ante pluit, terra est madida: sed terra est madida: ergo paulo ante pluit.* Peccat syllogismus in eo, quod videtur inferri pluvia ex terra madida, non tamen inferatur: cū *terram esse madidam* sit consequens, & *pluvia* sit antecedens.

192. Fit 2., cum ex opposito antecedentis colligitur oppositum consequentis, ut si dicas: *Si homo non est animal, non est equus: ergo si non est equus, non est animal.* Vitium est in eo, quod videatur colligere ex contradictorio consequentis; cum è converso accidat: colligit enim ex contradictorio equi contradictorium animalis.

193. Sexta est *Non causæ, ut causæ*: & datur, quando quis dicit malam esse Logicam, eo quod aliquis eâ male utatur; cum potius utens malus esset dicendus. Igitur hæc fallacia in eo

consistit,

consistit, ut falsitas conclusionis tribuatur alicui propositioni, quasi ab ea efficiatur, ex qua tamen re vera non efficitur.

194. Septima est *Plurium interrogationum, unius;* & tunc datur, quando plures interrogationes simul proponuntur, ac si esset una, ut respondens uni tantum capiatur. Igitur si quis roget, utrum *Homo sit animal hinnibile?* Capieris, sive simpliciter neges, sive affirmes: nam si affirmes, affirmabitur hinnibile de homine, quod est falsum: si neges, videris negare animal de homine; quod etiam est falsum.

NOTABILIA ALIQUA.

Pro Fallaciis enodandis.

195. TRibus potissimum modis occurritur sophistarum captionibus: 1. dilucide explicando terminos, in quibus sit vitium. 2. adhibendo solutionem non veram, sed apparentem, id est, quæ dubium vere non solvat, sed aliqualiter solvere videatur; ut sic ostendas sophistam apparenter tantum arguere. 3. addibendo solutionem, quæ dubium vere solvat.

196. Pro triplici sophismatum vitio, hoc unum brevi syllabo dicimus: si sophisma peccet ratione materiæ, occurres negando sumptiones, quæ

quæ afferuntur ut probabiles, cum ita non ſint. Si vitium ſit in forma, dilues negatione conſequentiæ; cum vi formæ non colligat: ſi peccet in utroque, utroque modo diſſolves.

197. Hanc ſophiſmatum confutationem latius deducit P. Fonſ. Inſt. Dial. lib. 8. c. 18, dum per ſingula ſyllogiſmi vitia diſcurrit: ſufficiat tamen hæc brevis notitia; longius enim, quam vellem, protrahitur jam Dialecticæ elucidario. Faxit Deus, ut tyrones Philoſophi non tam in confutandis ſyllogiſmorum erroribus, quam in extricandis animi vitiis immorentur.

NOTABILIA.

Pro Modalibus ſyllogiſmis.

198. SYllogiſmi modales duplices ſunt: qui conſtant propoſitionibus ejuſdem generis, v.g. omnibus ex neceſſario, dicuntur ſimplices; qui vero ex propoſitionibus diverſi generis, v.g. ex una de *neceſſe*, & altera de *contingenti*, vel abſoluta, mixti appellantur. Habent triplicem figuram, ut abſoluti, licet non omnes prorſus modos ſortiantur.

NOTABILE PRIMUM.

199. IN prima figura ſi maior ſit de *neceſſe*,

cesse; & minor absoluta infertur conclusio de *necesse*, ut videtur in hoc syllogismo: *Necesse est omne animal esse substantiam: sed omnis homo est animal: ergo necesse est omnem hominem esse substantiam.* Idemque fit in cæteris modis, ut patebit consideranti.

202. Quod si maior sit absoluta, & minor de *necesse*, solum deduci potest conclusio absoluta, sive de *inesse*, ne antecedens sit verum, & consequens falsum. Idcirco ex his præmissis: *Omne animal currit: sed necesse est omnem hominem esse animal*: colligitur hæc: *ergo omnis homo currit*, & non: *ergo necesse est omnem hominem currere;* cum sit consequens falsum.

203. In 2. figura, si propositio maior negativa sit de *necesse*, & affirmativa absoluta, sequitur conclusio de *necesse* in tribus prioribus modis: quia facta reductione syllogismi ad primam figuram, maior erit absoluta. Si præmissæ è converso disponantur, conclusio semper erit absoluta: quia, facta reductione, manebit maior absoluta.

204. Diximus: *in tribus prioribus modis*: quia in *Baroco* alia currit doctrina: sive enim maior, sive minor sit de *necesse*, nunquam colligetur conclusio de *necesse*, ne cum vero antecedente existat consequens falsum. Per hoc tamen non negamus, quod possit recte colligi conclusio absoluta.

203. In 3. figura ſive maior ſit de *neceſſe*, & minor abſoluta, ſive è contra, vi formæ ſemper concluſio eſt de *neceſſe* in *Darapti*. At ſi minor ſit de *neceſſe*, revocabitur ſyllogiſmus ad 1. figurã, converſa mai., & concluſione, ſed tranſpoſitis præmiſſis: ſi vero ſit abſoluta, fiet revocatio, converſa minori in partem.

204. In *Felapton*, ſi maior negativa ſit de *neceſſe*, ſequitur concluſio de *neceſſe*, ut: *Neceſſe eſt nullum hominem eſſe lapidem: omnis homo eſt corpus: ergo neceſſe eſt aliquod corpus non eſſe lapidem*: quia, converſa minori, fiet reductio in *Ferio*. Ea collectio habet vim ex communi principio *Dici de omni*, ut planum eſt.

205. Si maior ſit abſoluta, & minor de *neceſſe*, non recte deducitur concluſio de *neceſſe*: alioquin dabitur antecedens verum, & conſequens falſum, ut: *Nullus equus eſt bonus: neceſſe eſt omnem equum eſſe animal: ergo neceſſe eſt aliquod animal non eſſe bonum*: concluſio enim eſt falſa; quia fieri poteſt, ut omne animal ſit bonum.

206. In *Diſamis*, & *Datiſi*, ſi propoſitio univerſalis ſit de *neceſſe*, & particularis de *ineſſe*, ſive abſoluta, ſequitur concluſio de *neceſſe*. Idem eſt in *Feriſon*, ſi maior negativa ſit de *neceſſe*, & minor affirmativa de *ineſſe*; ſecus dicendum ob rationem proxime factam, & præmiſſæ ita non diſponantur.

207.

209. In *Bocardo* nunquam vi formæ sequitur conclusio de *necesse*, ne ipsa sit falsa, datis præmissis veris. Neque contrarium evincitur huc syllogismo: *Necesse est aliquod animal non esse hominem: omne animal est vivens: ergo necesse est aliquod vivens non esse hominem*: solum enim sequitur ratione materiæ necessariæ, non ita esset in alia.

NOTABILE SECUNDUM.

208. IN 1. figura, si utraque præmissa sit de *Contingenti*, sequitur conclusio de *Contingenti*, ut: *Contingit omne vigilans moveri: contingit omnem hominem vigilare: ergo contingit omnem hominem moveri.* Requiritur tamen, ut maior sit universalis, & minor affirmativa: si enim hæc sit negativa, syllogismus erit inutilis.

209. Ex iisdem præmissis in 2. figura non sequitur conclusio de *Contingenti*: siquidem conclusio ex his deducta: *Contingit nullum hominem ambulare: contingit omnem equum ambulare: ergo contingit nullum equum esse hominem*: est falsa; cum necesse sit nullum equum esse hominem; & *Contingens* sumitur ibi stricte, & 2. modo.

210. In 3. figura sequitur ex iisdem præmissis conclusio de *Contingenti*, ut: *Contingit omnem*

nem equum ambulare: contingit omnem hominem esse album: ergo contingit aliquod album ambulare. Præmissæ debent disponi, ut in syllogismis absolutis, qui constant ambabus propositionibus absolutis.

NOTABILE TERTIUM.

211. IN 1. figura ex maiori de *Contingenti*, & minori absoluta sequitur conclusio de *Contingenti*, ut: *Contingit omne animal currere: omnis homo est animal: ergo contingit omnem hominem currere.* Si aliter disponantur, licet sequatur conclusio, erit ratiocinatio imperfecta: non poterit enim confirmari principiis *Dici de omni, Dici de nullo*, sed solum ratione deducente *ad impossibile.*

212. In 2. figura, si affirmativa sit de *Contingenti*, & negativa de *ineſſe*, sequitur conclusio de *Contingenti*, ut: *Nullum sanum est ægrum: contingit omnem hominem esse ægrum: ergo contingit nullum hominem esse sanum:* & non aliter, cùm non possit reduci ad 1. figuram; universalem enim negativa de *Contingenti* non potest converti, ut fiat reductio syllogismi.

213. In 3. figura sequitur conclusio de *Contingenti* proprie dicto, si propositio de *Contingenti* sit ea, quæ erit maior in 1. figura, facta reductione syllogismi, ut: *Contingit omnem hominem*

minem moveri: omnis homo est animal: ergo contingit aliquod animal moveri. At non ita, si contingens sit ea, quæ futura est minor: tunc enim conclusio solum erit de *Contingenti* in communi.

NOTABILE QUARTUM.

214. Si ex præmissis maior sit de *Contingenti*, & minor de *necesse*, sequitur conclusio de *Contingenti*, ut: *Contingit omne animal dormire: necesse est omnem hominem esse animal: ergo contingit omnem hominem dormire.* Si vero è contra disponantur præmissæ, eadem sequetur conclusio, sed syllogismus erit imperfectus ob dicta n. 211.

215. Si maior negativa sit de *Contingenti*, & minor de *necesse*, deducitur ex his præmissis conclusio de *Contingenti*, ut: *Contingit nullum animal dormire: necesse est omnem hominem esse animal: ergo contingit nullum hominem dormire.* Si è contra accidat dispositio præmissarum, infertur conclusio absoluta, vel de *necesse*.

216. In 2. figura sequitur conclusio de *Contingenti* sumpto pro possibili, si maior negativa sit de *necesse*, & affirmativa de *Contingenti*, ut: *Necesse est nullum cygnum esse nigrum: contingit omnem equum esse nigrum: ergo contingit nullum equum esse cygnum.* Item recte potest inferri hæc conclusio absoluta: *ergo nullus equus est Cygnus.*

Digitized by Google

cygnus.

217. Hanc doctrinam intellige in tribus prioribus modis secundæ figuræ: in 4. vero nunquam recte fit syllogismus. Idem erit in aliis, si negativa sit de *Contingenti*, & affirmativa de *necesse*, ut: *Contingit nullum equum esse album: necesse est omnem cygnum esse album: ergo contingit nullum cygnum esse equum*: quia negativa non potest converti, ut reducatur syllogismus.

218. In modis affirmativis 3. figuræ, si maior sit de *Contingenti*, & minor de *necesse*, sequitur conclusio de *Contingenti*, ut: *Contingit omnem hominem esse album: necesse est omnem hominem esse animal: ergo contingit aliquod animal esse album*: nunquam enim dabitur consequens falsum, si præmissæ sint veræ.

219. In modis negativis ejusdem figuræ, si negativa sit de *Contingenti*, & affirmativa de *necesse*, sequitur conclusio de *Contingenti*, ut: *Contingit nullum hominem ambulare: necesse est omnem hominem esse animal: ergo contingit aliquod animal non ambulare*. Eadem conclusio, & etiã absoluta colligitur, si præmissæ è contra disponantur.

220. Nil dicimus de syllogismis modalibus simplicibus, qui constant ambabus propositionibus de *necesse*: quia in his eodem ferme pacto deducuntur conclusiones, quo in absolutis; & solum datur distinctio in modificatione

propoſitionum, idque in omnibus figuris. Item eodem modo reducuntur; cum enuntiationes de *neceſſe* convertantur, ut abſolutæ. Qui velit plura, conſulat P.P. C.C. de Prior. Reſol. ad explan. c. 8. 10. 11. & 12.

IN-

INDEX
Rerum memorabilium.

A.

Æquipollentia Quid pag. 267. Quot modis fiat, ibidem. Illius signa pag. 269. Illius præcepta in modalibus pag. 292. Datur in absolutis pag. 270. In conjunctis pag. 271. Non in subcontrariis pag. 269.

Ampliatio Quid sit pag. 167. Quotuplex sit pag. 168. Qualiter cognoscenda pag. 168.

Appellatio Quid sit pag. 171. Quid sit dictio appellans, & appellata pag. 172. Qualiter cognoscenda pag. 172.

Argumentatio Quid sit pag. 324. Formalis coincidit cũ solo syllogismo pag. 323. Qualis sit imperfecta pag. 325. Illius species pag. 325.

Ars Quid sit pag. 1. Quotuplex sit pag. 3. Quæ servilis, & quæ liberalis pag. 4.

Arcus Aristotelici pag. 379. Quales ruinosi pag. 386. Quot sint stabiles pag. 381. Sunt a-

Digitized by Google

aliqualiter utiles Febasi, & Hecaso in syllogismo expositorio de extremis singularibus pag. 389.

Ascensus *Quid sit pag.* 157. *Quot modis fiat pag.* 159.

C.

Casus *Rectus quomodo diversus ab obliquis pag.* 115. *Casus obliqui distributio pag.* 161.

Consequentia *Quid, & quotuplex pag.* 199. *Illius regulæ pag.* 203., *& 208. Bona qualiter cognoscatur pag.* 200. *Quid pura, & non pura pag.* 201. *Quid necessaria, & probabilis pag.* 202. *Illius bonitas pag.* 344. §. *An cognoscatur per actum reflexum distinctum pag.* 343. §. 87.

Consecutio *A conjunctis ad divisa pag.* 192. *Ab infinitis ad finita pag.* 188.

Contingens *Quot modis dicatur pag.* 287.

Conversio *Quid, & quotuplex pag.* 250. *Qualis simpliciter in propositionibus absolutis pag.* 253. *Per accidens pag.* 257. *Per contrapositionem pag.* 262. *In modalibus pag.* 300. *Per oppositam qualitatem pag.* 214.

D.

Definitio *Quid sit pag.* 136. *Quotuplex pag.*

pag. 137. Illius leges pag. 139. Tradita per causas intrinsecas est essentialis pag. 138. Quæ simul per proprietatem pag. 139.

Demonstratio Quid pag. 335. Quotuplex sit pag. 336. Illius præcognita pag. 340. Quæ cognoscenda ante ingressum pag. 341. Quæ in ingressu pag. 343. Illius prædicata pag. 344. Demonstratio deducens ad impossibile pag. 337.

Descensus Quid, & quotuplex pag. 158. Unde cognoscendus in modalibus pag. 298.

Dialectica Quid pag. 5. Quotuplex sit pag. 6. Rigorosa scientia pag. 16. Practica pag. 18. Distincta ab aliis pag. 27. Una in specie pag. 29. Pars Philosophiæ pag. 30. Docens in omni materia pag. 7. Utens secundum se totam pag. 9. De distinctione inter illius actus pag. 31. In quibus subjectis detur pag. 79. Dialecticum prædicatum pag. 347.

Distractio Quid sit, & quotuplex pag. 167.

Divisio Quid sit pag. 141. Quotuplex pag. 142. Illius leges pag. 145.

E.

Enuntiatio Quid pag. 132. Finita & infinita pag. 187. De extremo conjuncto quæ necessaria pag. 196. Quæ contingens pag. 195.

Digitized by Google

Elenchus *Quid sit pag.* 404. *Illius fallaciæ quot sint pag.* 405. *Ex parte rerum pag.* 407. *Ex parte vocum pag.* 405. *Quomodo occurratur fallaciis pag.* 410.

Exceptiva *Propositio pag.* 185. *Quomodo exponendæ pag.* 229. *Illarum formulæ pag.* 230. *Signa exceptiva pag.* 186. *Quæ rigorosè exceptiva pag.* 186.

Exclusiva *Propositio quæ sit pag.* 185. *Duo illarum genera pag.* 185. *Signa exclusiva pag.* 185. *Quomodo exponantur pag.* 230. *Quomodo opponantur pag.* 230.

F.

Figura Syllogistica *quid pag.* 354. *Est solũ triplex pag.* 356. *Figurarum regulæ generales pag.* 371. *Duplex figura in syllogismis hypotheticis pag.* 390. *Unica in copulativis negativis pag.* 390. *Duplex in disjunctivis affirmativis pag.* 392.

Forma *Syllogistica quid pag.* 353. *Est idem cũ materia pag.* 354. *Quibus nititur principiis in syllogismis perfectioribus pag.* 329. *Quibus expositorius pag.* 334. *Quotuplex sit in syllogismis hypotheticis pag.* 390. *Forma in propositionibus quadruplex pag.* 179. *Quæ forma orationis pag.* 129.

Indu-

Digitized by Google

I.

Inductio Quid sit & quot modis fiat pag. 325. An sit consequentia formalis pag. 226.

Infinitum Nomen quid sit pag. 101. Ens nequit infinitari pag. 108. Infinitum verbum quid pag. 117. Non omne verbum potest infinitari pag. 101.

M.

Maior Propositio, & minor quæ sit pag. 328.

Maius, Et minus extremum quale sit in prima figura pag. 327. Quale in 2., & 3. figura pag. 328.

Materia Propositionum quotuplex sit in absolutis pag. 180. Duplex in modalibus pag. 278. Materia ex qua idem cum forma syllogistica pag. 354.

Medius Terminus quid sit pag. 327. Distribuendus complete in aliqua præmissarum pag. 372. Qualis esse debeat ad concludendum pag. 333. Medii inveniendi ars pag. 379. Qualis sit antecedens, & qualis consequens pag. 381. Qualis

Digitized by Google

lis in syllogismo expositorio pag. 375, *&* 377.
Modus *Syllogisticus quid pag.* 354. *Quotuplex sit in syllogismis hypotheticis pag.* 390. *In copulativis pag.* 391. *In disjunctivis pag.* 392. *In prima figura pag.* 359. *In secunda pag.* 366. *In tertia pag.* 369. *Modus in modalibus quid pag.* 277. *Ibi quotuplex pag.* 377. *Cur dicatur universalis, aut particularis pag.* 278. *Quot sint modi indirecti in* 1. *figura pag.* 363. *Non dantur in aliis figuris pag.* 365. *Quotuplex sit in syllogismo expositorio pag.* 375. *Unde cognoscendum, an modus conveniat dicto in modalibus pag.* 288. *Quot modi dentur in syllogismis modalibus pag.* 411.
Modalis *Propositio qua pag.* 276. *Quod illius dictum pag.* 276. *Quale illius subjectum, & prædicatum pag.* 277. *Quotuplex sit modalis ibidem. Quando sit affirmativa, aut negativa pag.* 282. *De contingenti quomodo exponatur pag.* 314. *Modales de contingenti* 2. *modo vix ullam habent oppositionem pag.* 287. *Excludantur à regulis æquipollentiæ pag.* 298.

N.

Negatio *Negans, aut infinitans pag.* 239. *Quando sit privatio, aut mera negatio pag.* 104.

Digitized by Google

Nomen *Quid sit pag.* 104. *An aliquod sit complexum pag.* 110. *Quid dicat de formali pag.* 110. *Unde cognoscendum, quod sit simplex in significando pag.* 112. *An adjectivum, & substantivum differant specie pag.* 113. *Non repugnantia nomina quæ pag.* 103. *Nomen abstractum pag.* 100. *Analogum pag.* 99. *Æquivocum pag.* 99. *Concretum pag.* 100. *An nomens sit infinitum pag.* 101.

O.

Objectum *Dialecticæ quotuplex pag.* 47. *Materiale sunt conceptus formales pag.* 48. *Apprehensio pag.* 50. *Voces pag.* 53. *Non ita conceptus objectivi pag.* 56. *Neque ens rationis pag.* 59. *Objectum formale quotuplex pag* 62. *Objectum sub quo dirigibilitas pag.* 63. *Objectum Quod sunt actus ut directi pag.* 67. *Objectum attributionis quid pag.* 71. *Est syllogismus perfectus pag.* 71.

Oppositio *Quid pag.* 209. *Quotuplex in propositionibus pag.* 212. *Rigorosa est triplex pag.* 214. *Quæ sit contradictoria pag.* 219. *Datur in plurali pag.* 223. *Quæ sit contraria pag.* 237. *Et an maior contradictoriâ pag.* 241. *Qualis subcontraria pag.* 243. *An detur in omnibus propositionibus disjunctivis pag.* 275. & 249.

Digitized by Google

Quæ, & quotuplex in modalibus pag. 283. *Quomodo assignanda oppositа modalis pag.* 286. *Quanam leges oppositionum modalium pag.* 288. *An aliqua propositio careat contradictoriâ pag.* 225.

Oratio *Quid sit pag.* 124. *Illius materia, & forma pag.* 129. *Quotuplex sit pag.* 132. *Qualis sit perfecta, & imperfecta pag.* 129. *Quotuplex sit perfecta pag.* 132.

P.

Propositio *Quid pag.* 175. *Illius materia, & forma pag.* 177. *Quotuplex sit pag.* 180. *Quæ hypothetica, & categorica pag.* 184. *Quando conditionalis sit affirmativa, aut negativa pag.* 184. *Quæ sit causalis pag.* 185. *Universalis, aut particularis, vel singularis pag.* 182. *Quæ de extremo conjuncto pag.* 195. *Quid sit propositio simplex, & quid complexa pag.* 197. §. 77. *Indefinita pag.* 182. *Exclusiva pag.* 185. *Exceptiva pag.* 186. *Finita, aut infinita pag.* 187. *Quid sit propositio Dialectica pag.* 248.

Q.

Quantitas *In propositione quid, & quotuplex*

pag. 180. *In modalibus pag.* 281. *Per quid designetur pag.* 281. *Ad quantitatem propositionis parum refert quantitas casûs obliqui pag.* 183. *Propositio non constituitur quanta per signa posita ex parte prædicati pag.* 182.

Qualitas *In propositionibus absolutis pag.* 179. *In modalibus pag.* 281. *Quando reddat affirmativam, aut negativam pag.* 282.

R.

Reductio Quid *pag.* 394. *Quotuplex sit pag.* 393. *Ostensiva pag.* 394. *Ad impossibile pag.* 399. *Per expositionem pag.* 402. *Quomodo sciendum, ad quos modos fieri debeat pag.* 394. *&* 461.

Regulæ *Generales in omnibus figuris pag.* 371. *Ad cognoscendum, ad quem modum* 1. *figuræ reduci debeant syllogismi pag.* 394. *Ad assignandum cuilibet modali aliam oppositam pag.* 286. *Ad assignandas contradictorias in absolutis pag.* 231. *Pro aptandis conditionalibus, copulativis, aut disjunctivis pag.* 246.

S.

Sensus Compositus, *& divisus quid sit pag.* 297.

Digitized by Google

297. *An detur in modalibus, & quomodo explicandus ibidem. Quis sensus proprius modalium pag.* 297. §.

Scientia *Practica quid requirat pag.* 24. *Subalternans, & subalternata pag.* 342. *Quomodo principia, & cognitiones unius ab alia percipiantur pag.* 345. *Scientia* Propter quid, & Quia *pag.* 336.

Signa *Universalia, & particularia in propositionibus absolutis pag.* 183. *In modalibus pag.* 278. *Signa exceptiva pag.* 186. *Exclusiva* 185. *Simul universalia, & particularia pag.* 237. *Quasi universalia pag.* 183. *Posita ex parte prædicati non constituunt propositionem quantam pag.* 182.

Suppositio *Quid sit pag.* 149. *Quotuplex pag.* 150. *Communis, & singularis pag.* 151. *Simplex, absoluta, & personalis pag.* 152. *Copulativa, distributiva, determinata, & confusa pag.* 160. *Accidentalis, & naturalis pag.* 163. *Pro singulis generum, & pro generibus singulorum pag.* 164. *Datur in conceptibus pag.* 151. *Convenit tam subjecto, quam prædicato pag.* 151. *Discreta, & singularis pag.* 152.

Syllogismus *Quid sit pag.* 317. *Quot constet præmissis pag.* 328. *Illius materia proxima, & remota pag.* 81. *Includit præmissas, & conclusionem pag.* 320. *Est argumentatio formalis pag.* 323. *Quotuplex sit pag.* 335. *Quis Dialecti-*

Digitized by Google

cus pag. 345. *Demonstrativus pag.* 335. *Sophisticus pag.* 349. *Pseudographus pag.* 351. *Syllogismus ad impossibile pag.* 337. *Quot terminis constet pag.* 326. *Quibus nitatur principiis pag.* 329. *In expositoriis pag.* 334. *In* 1. *figura pag.* 332. *In* 2. *&* 3. *figura pag.* 333. *Quid sit syllogismus expositorius pag.* 375. *Quid sit syllogismus Hypotheticus, & quot figuris constet pag.* 390.

T.

Terminus *Quid sit pag.* 82. *An sit significativus pag.* 86. *Multiplex illius divisio pag.* 95. *&* 98. *De terminis in plurali pag.* 102. *De complexis pag.* 124. *Quot sint in syllogismo pag.* 326. *Qui dentur in propositione mentali pag.* 94.

V.

Verbum *Quid sit pag.* 116. *Quotuplex sit pag.* 170. *Illius significata pag.* 120. *Significat cum tempore pag.* 121. *In ratione verbi est terminus verbum est pag.* 92. *Non ita in ratione nexûs pag.* 89.

FINIS.

HMG 20127775

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google